BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXI
C
55
NAPOLI

XXI.
C.
55.

Digitized by Google

BIBLIOT
Vittori

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


I. P. Felwingeri P. P.
de Consiliarijs de Senatorib, et de Legib,

JOHANNIS PAULI Felwinger/
Profeſſoris Altdorffini

TRACTATUS TRES

I. De
CONSILIARIIS.
II. De
SENATORIBUS.
III. De
LEGIBUS.
Cum Indice Rerum & Verborum.



Sumptibus Johannis Crameri, Bibliopolæ Norimbergenſis, q. 10.
ALTDORFFI, Charactere Gœbeliano.
ANNO M. DC. LXV.

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXI
C
55
NAPOLI

XXI.
C.
55.

Digitized by Google

Digitized by Google


I. P. Felwingeri P. P.
de Conſiliarijs de Senatorib, et de Legib

JOHANNIS PAULI Felwinger/
Profeſſoris Altdorffini

TRACTATUS TRES

I. De
CONSILIARIIS.
II. De
SENATORIBUS.
III. De
LEGIBUS.
Cum Indice Rerum & Verborum.



Sumptibus Johannis Crameri, Bibliopolæ Norimbergenſis, q. 10.
ALTDORFFI, Charactere Gœbeliano.
ANNO M. DC. LXV.

Digitized by Google

Digitized by Google

Benevolo Lectori
Salutem!

VT meritò reprehenditur, qui quæ ſui ſunt officij ignorat : ita vituperio non caret, qui quæ ſui officij ſunt, debitè non exequitur : *Maledictus enim eſt, qui facit opus Domini fraudulenter*, h. e. quod ipſi à DEO, mediante Magiſtratu eſt injunctum, *Jerem. XLVIII. v. 10.* Hæc mecum accuratius perpendens, muneris mei eſſe credidi, omnia, quæ ad Doctrinam Politicam pertinent, (cum illa Diſciplina publicè mihi demandata ſit,) Stu-

dioſæ juventuti accuratâ diligentiâ, curâqué anxià proponere, & quantum in me eſt, explicare, cunctaqué illa, quæ ad informationem juventutis ad Reipublicæ adminiſtrationem deſtinatæ faciunt, probè inculcare : ut generalibus iſtis monitis imbuta, ad particularia & ſingularia in vita Civili occurentia, rectius applicanda & dijudicanda, præparetur. Quo ipſo, quamvis benè gnarus ſim, me multorum ſciolorum cenſuram incurſurum, ut non pauci mihi, ceu Phormioni, ſint objecturi, me nec Conſiliarium unquam fuiſſe, nec Senatorem, multo minus Legislatorem : adeoqué rectius feciſſe, ſi ea, quæ Scholam ſapiunt, quàm quæ Rempublicam concernunt, tractaſſem. Maximè, cum omnia illa in Experientia conſiſtant, eaq;

eâqué abſolvantur. Unde jam olim Socratis ævo Philoſophi Reipublicæ gerendæ minus apti habiti ſunt. Quid? quod ipſa eruditio multos ad res gerendas videatur ineptos reddere. Ex qua proinde cauſa, florentibus maximè Romanorum rebus, & Philoſophi & Rhetores urbe pulſi ſunt. Ideò C. Marius bonus imperator laudi ſibi duxit, Græcas literas non didiciſſe: Parum placebat, inquit apud *Salluſtium*, eas diſcere, quippè quæ ad virtutem doctoribus nihil profuerunt. Et quid dicendum de *Machiavello*, qui pluribus Principem inſtruere conatus fuit, & tamen ſeſe & ſuum Principem, cui à conſiliis fuit, peſſum dedit? non ſanè aliunde, quàm quod nulla fuerit inſtructus experientia, & magis Scholæ, quàm Vitæ ſcri-

ſcripſerit. Quis ignorat, quæ egregiè de adminiſtranda Republica tradiderit *Trajanus Boccalinus?* & tamen, qui ſe aliis Reipublicæ benè gerendæ ducem & magiſtrum profeſſus eſt, in iis *oppidis*, *quorum* adminiſtratio illi commiſſa fuerat, ſuis ipſe præceptis non paruit, ſed multa, ut ajunt, commiſit, quæ à prudentiæ rationibus eſſent aliena, prout de illo teſtatur *Jan. Nicius.* Adeò diverſiſſima ſunt ea, quæ exerceri & experientia addiſci debent, ab iis, quæ in Scholis agitantur. Verùm novi quidem, multos hodiè pleraque, etiam optima, ſiniſterrime accipere & calumniari: deterreri tamen me ab officio meo non patiar, ſed quæ commodo & utilitati publicæ profutura ſunt, frementibus aliis, proponam: nec vadimonium

nium deſeram ob ea, quæ de Experientia in medium ſunt prolata. Nam licet non diffiteamur, ab Uſu confirmari mirificè Politicorum communium præceptorum fidem: credimus enim *Plinio*, efficaciſſimum rerum omnium magiſtrum eſſe Uſum, & experimentis optimè credi: aliàs fruſtra à Medicis formula illa rebus & præceptis ſuis adderetur, *Probatum eſt*. Quin & *Ciceronis* illud admittimus: Uſum omnium magiſtrorum præcepta ſuperare, *lib. de Orator*. Minimè tamen inde credendum eſt, certam fidem omnium præceptorum Civilium ab experientia unicè proficiſci. Nihil namque aliud eliciendum inde eſt, quàm quod Experientia Scientiæ Politicæ robur, & majorem ac diſtinctiorem certitudinem ſuperad-

dat: non verò omnem rerum agendarum peritiam & facultatem experientiæ ita adſcribi, ut quod expertus non ſis, non etiam poſſis efficere. Hoc enim modo nemo Reipublicæ conſulere, & illi ab officiis eſſe poſſet, niſi extremè ſenex, & jam moribundus. Peſſimè igitur, *inquit Illuſtr. Conringius*, conſuluerit Natura humano generi, & Civili cumprimis Societati, ſi prudentia omnis expectanda ſit ab annis, & accipi nequeat, niſi tum, quando jam inutilis eſt. Quapropter cùm inter illa, quæ in Scholis optimi Authores, iique, qui omnem penè ſuam vitam in Reipublicæ gubernatione conſumſerunt, in monumentis ſuis literariis nobis reliquerunt, ultima non videam eſſe de Conſiliariis, Senatoribus, Iudice, Magiſtratu & Legi-

bus:

ous: volui brevibus commentariis publicè repetere, &, quantum in me erat, dilucidiſſimè explicare: & quædã ex illis, hâc vice, quatenus ratione temporis fieri poterat, Typis mandare, & in lucem publicam emittere: nimirum *Conſiliarios*, *Senatores & Leges*. Dabo ſuo tempore tractatum de *Magiſtratu*: ſi videro, Benevole Lector, quæ jam promo, Tibi arridere, & laborem meum à Te non ſperni. *Judicem* quidem hîc addidiſſem, niſi eundem ante aliquot annos curâ & ſumptibus ſuis Vir, Bono publico Literario natus, *Dn. Johannes Andreas* Endter evulgaſſet, & *Foro Proteſtationum* adjunxiſſet: à quo, ſi, B. L. lectione dignum æſtimaveris, levi pretio redimere poteris. Et, quoniam nulla laudabilior Philoſophiæ pars eſt, *teſte*

Plinio Juniore in Epiſt. quàm agere negotium Publicum, cognoſcere, judicare, promere & exercere juſtitiam, *quæq; Philoſophi docent, in uſu habere*: Ipſam Rempublicam (in qua hæc omnia fieri debent) cum omnibus ſuis ſpeciebus, tàm bonis, quàm prolapſis, aliquammultis Diſſertationibus conſtantem, proximè dabo, ſi modò DEUS vitam & vires largitus fuerit, mihique ſerenior fortuna affulſerit. In *Logicis* lubens non vulgaria darem, ut & in omnium diſciplinarum Philoſophicarum Regina *Metaphyſica* non inutilia: ſi æquiorem mihi promittere poſſem Cenſorem. Nam ſi vir Cordatus animadvertit, ſe & ſua, quæ optimâ intentione in bonum publicum ſunt elaborata, contemni ab injuſtis rerum cenſoribus, potius tutò latere cupit,

quàm

quàm à Suffenis carpi ac traduci. Quamvis hujusmodi livor potius laudi ducendus, quàm vituperio. *Vulgo namq; qui placet, nemini placet:* Et lividus ſibi magis, quàm aliis nocet, ſuique ipſius carnifex eſt. Vir bonus contra audentior eat! Nam ſi mundus gratiam omnem denegaverit, Deus tamen ſuam gratiam non denegabit, & omnes, qui multos ad veritatem & Juſtitiam informârunt, ut Solem ſplendere faciet, ſuoque umbone ab omnium invidorũ inſultu immunes reddet; modò firmâ fide promiſſionibus, fallere neſciis, adhæreant, veræque Pietati & erga Proximum miſericordiæ operam dent. Tibi igitur ſoli, ô Deus, omnium oppreſſorum certiſſimo refugio, me & mea omnia devotè commendo!

Φελφιγγῆρος ἐμὸς πολύμοχθος νωλεμὲς ἐστιν.
ἢ λέγει ἠὲ γράφει ὠφέλιμόν τι Νέοις.
Ἔσθ᾽ ὅτε τῆς Λογικῆς σπείρει καλὰ σπέρματα τέχνης,
Ἔσθ᾽ ὅτε Θευλογικὰ γραπτὰ φόωσδε φέρει.
Νῦν Πολιτείῃ ἐντήκεται, ἠδὲ διδάσκει,
Ἅττινα Βουλευτὴν δεῖ Συνεδρόντε ποιεῖν.
Ὢ τῶν εὐκαμάτων καμάτων! Θεὸς ἀνέρα σώζοι,
Ὥστε δύνασθαι ἀεὶ ὠφέλιμόν τι γράφειν!

Ità Clariſsimi & Excellentiſsimi Dn. Felwingeri, Collegæ & Compatris ſui honorandi, laudatiſsimis lucubrationibus applaudere voluit

GEORG-MATTHIAS König/
Hiſt. & Græc. Ling. Prof. P.

DIO-

DIODORUS SICULUS IN PROOEMIO BIBLIOTHECÆ.

MAgnas meritò gratias rerum scriptoribus homines debent, qui ſuo labore plurimum vitæ mortalium profuere. Oſtendunt enim legentibus, præteritorum exemplis, quid nobis ſit appetendum, quidve fugiendum. Nam, qui multa experimenta rerum, variis cum laboribus periculisq́; ipſi procul ab omni diſcrimine poſiti geſta, legimus, nos admonent maximè, quid conferat ad degendam vitam. Cognitio igitur ex aliorum tum ſecundis, tum adverſis rebus percepta doctrinam habet ad omnia valde neceſſariam. Pulchrum eſt enim, ex aliorum erratis in melius inſtituere vitam noſtram; &

non

non tam, quid alii egerint, quærere: quàm quid optimè ab iis actum ſit, nobis proponere ad imitandum. Seniorum conſilia, quos longa ætas prudentiores effecit, laudantur. At hos tantò antecellit Hiſtoria, quantò plura rerum exempla complectitur diuturnitas temporis, quàm hominis ætas. Itaq; ad vitæ inſtitutionem, resq; præclarè gerendas utiliſſima cenſenda eſt Hiſtoria.

Σὺν Θεῷ πειραγίῳ.

BREVIS COMMENTATIO.

De

CONSILIARIIS.

Procœmium.

Communem hominum vitam in multis Medicorum conſuetudinem ſequi & imitari, nemini mortalium, niſi qui ſeipſum ignorat, demonſtrari opus eſſe, confido. Quis enim ignorat, præ cæteris hunc audaciæ litare & temeritati, qui ſuis confiſus ingenii viribus, gravi aliquo in morbo conſtitutus, malo iſti ipſe mederi allaboret, ſuusq; Æſculapius eſſe velit? Aliorum, ſive collegarum operam tentant, & curam admittunt, cùm ipſos, tanquam ſapientes, non fugiat, quemlibet in propriis cæcum eſſe, & in ſuis hebetem, in aliis verò lynceum. Id quod haud diſſimili ſententiâ adoleſcens apud Terentium in Andriâ *confirmat, quando* Act. 2. Scen. 1. *ait: Facile omnes, cùm valemus, ægrotis recta conſilia damus, Tu ſi hic ſis, aliter ſentires. Et* Pedo Albinovanus.

 Heu

Heu mihi, quàm facile eſt, quamvis hoc contigit, omnes
Alterius luctu fortia verba loqui.

Item Prometheus apud Æſchylum;

Et facile cuivis, cui pes eſt extra malum,
Docere & admonere eum qui habet malè.

Si verò ulli ex hominibus Medicos in hoc imitari debent, ſanè Principes, qui Rerump. clavum tenent, & Regiminis naviculam turbulentiſſimâ tempeſtate maris, periculorum procellis refertiſſimi, moderantur, eos imitentur; quia his multi populi, & infinita negotia, eaq; publica, commiſſa ſunt. Quis enim Atlas huic orbi ferundo ſolus par eſſet? Adeoq; alio Hercule opus eſt, Conſiliariis ſcilicet, quorum

Conſilium in omni praeat negotio:

De quibus pro hac diſſertatione aliquid in medium adferre, eosq; in ſuâ naturâ nonnihil intimiùs contemplari, animus eſt:

Conſilium da, Chriſte, bonum, quo ſcribere poſſim,
Inſtructus quâ ſit Conſiliator ope!

by Google

§. I.

Antequam ad ipſas virtutes Conſiliarii accedamus, ipſius definitionem nominalem conſiderabimus, & appellationes. Dicitur autem Conſiliarius, & hac voce indigitatur perſona, quæ Principi aut Domino conſilia in negotiis bonum publicum concernentibus ſuppeditat, & ſuggerit. Unde illorum dignitas tanta eſt, ut pars corporis ipſorum Principum habeantur, *l. quisquis 5. in pr. C. ad L. Jul. Majeſt.* Ex quo amici principum vocantur *l. 4. C. de contrahend. ſtipul.* Et Alexander Severus Imp. Ulpianum JCtum Parentem ſuum appellavit, *l. 4. C. de Loc. & Conduct.* A Cicerone Principes ſalutis appellantur, *in Orat. de Aruſpic.* *Conſilariorum appellationes.*

2. Ex quibus ſtatim patet, quàm neceſſarii ſint Principi Conſiliarii. Cum enim Amici, pars Principum, Parentes Imperatorum vocentur, ſicuti privatus absq; amicis perfectè felix non eſt; is, qui aliquam ſui partem deſiderat, mutilus eſt; & ſicut liberi ſine ſuis parentibus vix atq; vix res juſtè ſuas adminiſtrare poſſunt; ita quoque Principes regimini bene rectè; præeſſe haud poſſunt, niſi Conſiliariorum ope ſubleventur, & ſerventur. A quâ ſententiâ non tantùm non abeunt Sacræ Literæ, *Proverb. XI, 14. XV, 22. Eccleſiaſtici XL, 25.* verùm nec ſcriptores alii profani; Ita enim, inquit *Salluſt. in Orat.* *Conſiliariorum neceſsitas.*

Digitized by Google

2. *ad Cæſar.* 16. ego comperi, omnia regna, civitates, atque nationes usque eò imperium proſperum habuiſſe, dum apud eos vera conſilia (non tantum, quæ ipſi regnorum moderatores, ſed etiam eorum conſiliarii, concipiunt,& formant) valuerunt: Ubi gratia, timor, voluptas ea corrupere, ſtatim imminutæ opes, deinde ademptum imperium, poſtremò ſervitus impoſita eſt. Item *Tacit. l.* 4. *Hiſtor. c.* 7. *n.* 6. Nullum majus boni imperii eſt inſtrumentum, quàm Conſiliarius bonus: Et *Tacitus l.* 12. *Annal. c.* 5. quamvis dicat de adjutorio uxoris, rectè tamen in genere accipi poteſt, quando inquit: Graviſſimos Principis labores, queis orbem terræ capeſſat, egere adminiculis. Unde Imperatores inquiunt; Bene cognoſcimus, quod cum veſtro conſilio, Patres Conſcripti, fuerit ordinatum, id ad beatitudinem noſtri Imperii,&ad veſtram gloriam redundare; *l. humanum* 8. *C. de Legibus*. Imò hoc ex contrario ſatis apparet. Quid enim ſibi volunt trita illa: Nihil proficiunt arma foris, niſi conſilium ſit domi? Vis conſilii expers mole ruit ſuâ? Ipſis in bellicis expeditionibus, *teſte Conrado Rittershuſ. ad Oppian.* 5. *Halieut. v.* 94. arma parum proſunt, conſilium ubi deſit. Et *Gruterus* affirmat: Pleraque in ſummâ fortunâ auſpiciis magis ac conſiliis, quàm telis ac manibus geruntur,

Conſiliorũ utilitas.

tur, *in Diſcurs. ad Tacit.* 1. Hinc præceptum illud *Terentii in Eunucho* ortum duxit: Omnia prius conſilio, quam armis experiri ſapientem docet: Propterea quia, ut *Euripides* ait, unicum rectum conſilium magnam militum manum vincet: Etenim vana eſt ſine viribus ira: Vanæ vires ſine conſilio: Conſilia verò juncta armis quodvis perpetrant. Contra: Vir inconſultus fruſtra laborat currens.

3. At hic ne nobis negotium faceſſat aliquis, ac ſi nos 1. Principes noſtros velimus fungos eſſe, & inſipientes, atque 2. ab ore conſiliariorum dependere jubeamus, accuſans, multaque alia abſurda ex noſtrâ ſententiâ eliciens, v. g. cedere 3. in Principis contemtum, accerſere Conſiliarios, ac ſi ipſe ſibi ſolus non ſufficeret, nec quicquam de imperii ſtatu ſciret & intelligeret, niſi quod ex Conſiliariis cognoſceret: Item 4. hoc modo facilè Principum patefieri conſilia, & in vulgus exire, ſi ſine Conſiliariis nihil agere debeat: Quæ enim cum multis communicanda ſunt, occultè haberi aut manere non poſſe. Sciat velim, quisquis his implicitus vivat dubiis, 1. nos Sapientes cumprimis requirere Principes, propter ipſos Conſiliarios. Cùm enim indifferenter in Conſiliarium adoptandus non ſit quilibet, ſed adhibendus delectus, quæſo, quomodo non

Rationes contra neceſſitatem Conſiliariorum

Ipſe Princeps ſit ſapiens

Non quilibet in Conſiliarium legendus.

non in Principe requiretur prudentia? Ita ut audacter cum *Bodino* affirmem, Sapientiæ in Principe argumentum nullum eſſe majus quàm Sapientem virorum delectum habere, ut eorum conſiliis uti fruique poſſit. Ad 2. dicimus, tantum abeſſe, ut inde aliquod incomodũ ſequatur, ut potius ruina certiſſimè futura ſit, ſi præceptum hoc negligatur: Siquidem qui recta Conſilia ſequi non vult, pereat ſuâ (ut habet ſententia comunis) prudentiâ, cùm alterius prudentiâ poſſit eſſe ſalvus. Nam qui ſpernit conſilium, auxilio eſt indignus, quod Germanus ita effert: Wem nicht zu rathen iſt/ dem iſt nicht zuhelffen. Quinimò lethale illius Reip. habetur ſignum, ubi vel Princeps conſilium petere negligit, vel idonei conſiliarii deſunt, uti ex §. *præced.* conſtare poteſt. Non tamen totus ab illis debet pendere, niſi velit conſiliarios ſuos fore Dominos, & ſe ſuperiores, ità ut ipſe Princeps illis ſuis conſiliariis nihil amplius contradicere audeat; ipſe vero Princeps ſive Magiſtratus eorum quaſi mancipium eſſe. Ita enim Authoritas Principis apud Partes & exteros redderetur minuta.

Signum Reip. interitura.

4. Adeoque Tertium quod attinet, falſiſſimum eſſe dicimus, minuere Principis dignitatem, aut exiſtimationem, ſi ſubinde Conſiliariis, eorumque Sapientiâ utatur: Contrarium autem verum eſt, quia tam

apud

apud ſubditos, quàm vicinos, amicos pariter ac hoſtes, Principis exiſtimatio major eſt, ſi prudentium Conſiliariorum cingatur coronâ: Ut enim ex ſociis dignoſcitur malis malus, ita ex ſapientibus ſapiens: Et uti nauclero vitio non vertitur, ſed prudentiæ, ſi remigibus probatiſſimis in navigatione utitur; ita quoq; Principi bono vituperio nō erit, uti inſtrumento Reip. optimo, Conſiliario probo. Et uti perfectio perfectioni addita fit major; ita ſi Remp. ſapiens Princeps benè adminiſtrat ſolus, meliùs adminiſtrabit, accedente ſapientum aliorum adjumento. In cujus rei fidem voco ſapientiæ, uti vocari ſolet ab Interpretibus, Promum Condum, *Homerum, lib. X. Iliad. pag. mihi* 182.

Conſiliarii augent autoritatem Principis.

Inſtrumētum Reip. Conſiliarius bonus eſt.

Neſtor, me movet cor & animus generoſus,
Virorum hoſtium ingredi caſtra prope exiſtentia
Trojanorum, ſed ſi quis me vir ſequatur, & alius,
Major mihi ſpes & audacius (id eſt, major fiducia) erit.
Euntibus ſimul duobus alter alterū intellexit,
Qualiter utile ſit: Solus verò etſi intelligat,
Tamen tardior animus eſt, debiliusq; conſilium.

Vide Spondanum in Commentar. p. 183. Tandem 4. non eſt, quod proditionem, aut ſecretorum publicationem metuamus à Conſilia-

ſiliariis: Hoc enim eſt, quod diximus, ipſum quoque Principem Sapientiam decere, ut ſciat ſeligere Conſiliarios omnibus virtutibus ſplendidos, quas inter virtutes haud ultima numeratur *Taciturnitas.* Nequaquam itaque Principis autoritati aut prudentiæ derogat copia conſiliariorum, ſed eandem potius auget & perficit. Sat prudens ab omnibus habebitur Princeps, ſi ſciat eligere amicos, ſi poſſit conſilia aliorum judicare, & quod optimum eſt, ſequi. Etenim conſilium dare cujusvis eſt: capere verò ſapientis, & dijudicare. Taceo, non minus Principes ac alios tam corpore, quàm animo conſeneſcere: Eſt enim, ut corporis, mentis quoque ſenectus, teſte Ariſtotele 2. *Polit. c.* 7. ita ut nemo omnibus horis, nemo ubique ſapiat. Quid itaque? An ſenectuti, aut ſi aliquid humani Princeps patitur, ſuccurrendum prudentia Conſiliariorum non erit? Imò non rarò contingit, ut ſapientiſſimus quisq; vel cupiditatibus concedat, vel affectibus à verâ ratione abducatur: Annon in viam reducendus ὁδηγοῖς Conſiliariis?

Et corpori & menti ſua eſt ſenectus.

§. 5. His ita præmiſſis, in medium adducamus Conſiliarii virtutes, quibus præditus eſſe debet, ſi nomine Conſiliarii jure vocari velit. Eliciemus autem eas ex definitione, vel deſcriptione Conſiliarii, quæ communiter talis conſtitui ſolet: Conſiliarius eſt perſona

Definitio Conſiliarii

ona legitimè vocata ad ſuggerendum ſalutaria belli paciſque conſilia. Vel ut eam affert *Hippolytus à Collibus*: Conſiliarius dicitur, qui Principi ſuo ſalutaria de Republica fideliter & prudenter ſuggerit. Vel ut alius definit: Conſiliarius eſt Vir Politicus, electus ab Adminiſtratoribus ad id, ut ſuggerat ſalutaria Reipublicæ. Ex quâ deſcriptione patet tùm Conſiliarii officium, tùm quibus inſtructus eſſe debeat. In genere iis animi & corporis virtutibus, ſive præſidiis & inſtrumentis munitus ſit, quibus finem ſuum, felicitatem ſcilicet Reip. & ea quæ ad hunc finem faciunt, conſequatur. Inter quæ caput & fons eſt, Nôsse Rempublicam. *Conſiliarius noſcat Rempublicam.* Unde *Lipſius l.* 3. *c.* 4. Conſiliarios vocat fidos, Rerum Hominumque peritos. Quis enim de rebus ſapienter diſſerere, aut aliis conſilium de Rep. dare poterit, niſi nôrit? Regiis igitur artibus præſtet opus eſt, qui Regem eſt conſilio adjuturus. Et ut compendio dicamus, Togæ & Sago aptus ſit neceſſe eſt, h. e. probè teneat omnia iſta, quæ Principes tractare ſolent; horum enim auris & oculus eſſe dicitur *Plin. in Paneg. c.* 88. *n.* 1. *&* 2. atque ſic actiones probe calleat, quæ ad pacem, vel ad bellum ſpectant: verſatusq; ſit in rebus gerendis, atque in ipsâ civili adminiſtratione.

6. Ut autem hoc, quod in genere dictum,

Digitized by Google

Virtutes Conſiliarii ſunt duplices

1. Inſita.

2. Acquiſita.

ctum fuit, intelligamus quoque in particulari, age, ſpeciatim percurramus Conſilii virtutes, easque dividamus in *Inſitas*, & *Acquiſitas*. Ubi tamen nota, nos Ethicis aliis non contradicere, dum aliquas inſitas in Conſiliario requirimus virtutes, quum virtutem non accipiamus in ſignificatione Ethicâ, quæ nulla à naturâ, ſed conſuetudine, exercitatione & informatione omnis acquiritur: ſed nobis hoc in loco nihil aliud ſunt, quàm præſidia & requiſita, quorum quædam ſunt à naturâ, quædam à ſtudio, quædam à fortunâ. Inter virtutes verò illas, quæ à Natura in Conſiliario eſſe debent, INGENIUM BONUM eſt. Hoc enim quaſi ager eſt, qui reliquas virtutes gremio ſuo fovere, & tandem oblatâ occaſione, quaſi Solis calore excitatus, exoptatos fructus protrudere ſolet. Et quomodo non ceu fundamentum in Conſiliario requiratur Ingenium, qui ſuâ ſapientiâ Principem dirigere, & ſi à viâ recti declinari velit, in regiam traducere debet, cùm, teſte *Plauto in Trinummo, Act. 2. Scen. 2. verſ. 89.*

Quomodo nulla virtus à natura?

Ingenium bonum.

Non ætate, verùm ingenio adipiſcatur ſapientia?

Hoc, ingenio ſcilicet, ſæpe Conſiliarius Principis conatus ceu machinâ quâdam ſublevare, & in effectum deducere cogitur, qui nullis aliàs viribus effici poſſent. Unde illud vulga-

ligatum obtinuit, Ingenium vires ſuperat: t rectiſſimè *Hippol. à Coll.* Ut ingentia pondera, quæ nullis hominum viribus elevari poſſunt, machinis facilè tolluntur; ita quod aliâ ſæpe ratione nequeas, ingenio facilè efficias. Quid? Niſi tale ingenium naturâ ſit n Conſiliario neque experientiam, neque ſtudium, neque præceptiones, neque libros alem hominem poſſe reddere prudentem, certum eſt: Sed tale ingenium rude ac hebes eſt inſtar ageri naturâ ſterilis, qui, quamvis ſæpius colatur, tamen ſuccum non habens, vel paucos, vel malos, & immaturos fructus reddit. Sic ubi nullus ingenii vigor eſt, virtutis eximiæ fructus minimè ſperandus eſt, *inquit Fridericus Furius in tr. de Conſiliis & Conſiliariis, cap. 2.*

7. II. Non tantùm in Conſiliario Ingenium requiritur, ſed Alacritas quoq; ad omnia obeunda munera, quæ provenire videtur ex integro & juſto temperamento, quod ſequitur grata ſanitas: Quod ſi enim perpetuò conflictatur cum adversâ valetudine, aut melancholiâ laborat, aliisque, quæ hilarem, & ad exequenda officia paratum aliàs animum impediunt, licet ingenio ſatis accuto ſit prædıtus, Principi tamen à Conſiliis vix erit, utpote, quæ ſæpiùs accelerari, quàm meditatione tædiosâ prolongari & extrahi debent. Animus namque humilis remiſſus, *Alacritas.*

miſſus, negligens, uti ultra ſortem ſuam non ſapit, ita quoque ſalutaria ſuppeditare Principi non poteſt. Igneum verò ingenium, & alacre, de quo loquor, ubi ad maturam ætatem, quam anno trigeſimo communiter definiunt, pervenerit, bonos ac ſalutiferos fructus edet, & vulgaria non ſapiet. Neminem, *inquit Seneca ep. 39.* excelſi ingenii virum humilia delectant & ſordida: magnarum rerum ſpecies ad ſe vocat, & extollit: Habet enim hoc in ſe generoſus animus, quòd concitatur ad honeſta, dicta etiam talis ſingularia ſunt, & opinione vulgi excellentiora; nam ut res ratione vulgari non comprehendit, ſic & eâdem de ipſis non diſſerit: in principio & fine mirus eſt, in dicendo argutus, in reſpondendo promptus, in arripiendo facilis, & in docendo clarus, jocando ſuavis, in ſeriis cautus, & in verſandâ naturâ ita ſtudioſus, ne virtutis immemor conſpiciatur. Nunquam præclarum, *inquit Furius*, & illuſtre ingenium viâ publicâ deambulat, vulgari modo loquitur, ſeſe venditat, in ſermone vacillat, vel malè ſibi conſtat. Hujus claris ingenii conſiliarius ſemper meditatione ſingularium rerum occupatur, omnia videre, comprehendere, & manibus quaſi palpitare geſtit, multa legit, confert, & cum omnis generis hominibus verſatur dignè: Ad hæc præterita ſcire, præſentia intelli-

igere, de futuris judicare cupit: multa in-
tigat, non contentus eſt unius vel alteri-
cognitione, plus aliis in rebus ſuſceptis
igentiæ atque laboris collocat.

8. *At dicis*: Nimis ſubtilia & ignea in- *Excellen-*
nia, quæ in aſſiduo motu verſantur, no- *tium inge-*
ndis, quàm gerendis rebus aptiora ſunt. *niorum in-*
nde non malè *Thucyd. l. 3. Bell. Peloponneſ.* *commodũ.*
mihi 126. Plerumque qui humilioris ſunt
genii, meliùs, quàm ſolertiores, Rempubl.
lminiſtrant. Hi enim ſapientiores legi-
us videri, & plura, quàm quæ vulgò de Rep.
onſultari ſolent, incredibili cum incom-
nodo civitatum nôſſe volunt, tanquam
ion in majoribus vires ingenii oſtentare
queant. Illi verò diffiſi ſuis ingeniis, dum
egibus ſe ſubjicunt, dum rectè ſuadenti-
bus obtrectare verentur, dum ex æquo judi-
care, quàm verbis contendere malunt, ple-
rumque proſperè res gerunt. *Adde pag.* 148,
149. Ex his patet, nimium acutos, peſſi-
mos ſæpè conſultores exiſtere. *Vid. Berneg-
ger. in German. Tacit. quæſt.* 185. Eſt quod-
dam hominum genus, *inquit Beſoldus*, agi-
le, callidum, igneum, ſubtile: qui naturali
quâpiam ſagacitate, omnium mortalium
cogitationes, actiones & eventus rerum fu-
turarum perrimari ac perſentiſcere ſtudent.
His ut plurimum Reges ac Principes, præ-
ſertim curioſi illi & juveniliter ambitioſi,
dele-

delectantur; quod quantâ cum pernicie Principum ſit conjunctum, dici vix poteſt. *Vid. Piccart. l. 4. Polit. cap. XI. pag. mihi 581.*

Mediocria ingenia ingeniis, & excellentibus non rarò ſunt meliora.

℞. Licet non negem, acutiores ſubtilioresque Conſiliarios non rarò ſuo acumine nocere Reip. ita ut hoc in caſu, Bonos, Cordatos, & Prudentiâ aliquâ civili præditos, ingenioſioribus prætulerim, quia, ut animorum motibus vehementioribus, ita celeritate ingenii ad malum haud rarò abutitur imbecillitas naturæ: non tamen hoc ingenio, aut ingenii alacritati per ſe tribuendum eſt. Nam 1. hoc acumine Conſiliarius rectè debet uti, ne nomen ſophiſtæ, aut novatoris, ſive contumacis mereatur. 2. Stipatum tale ingenium debet eſſe aliis virtutibus, ut in ſequentibus dicemus: Ingenium enim tale non tantùm debet eſſe acutum, magnum & alacre, ſed inſuper rectæ rationis normâ directum.

Virtutes naturales corporis in Conſiliario.

9. Vidimus requiſita, ſive virtutes Animi in Conſiliario naturâ exiſtentes: Accedamus ad illas, quæ eâdem matre Conſiliario ingenita eſſe debent, quoad corpus. Inter eas 1. ponimus corporis Conſtitutionem; ſive Temperamentum, rebus gerendis aptum. Nam temperamenta quædam ex ſe ſunt capacia, atque rebus apta & idonea: quædam verò ad res gerendas ſtupida, inepta, atque tenebricoſa, vel, ut rectiùs loquamur,

Temperamentum bonum.

quamur, faciunt homines ſtupidos, intos atque tenebricoſos. *V. Diſput. noſtram Temperamentis* §. 24. Conſiliarius itaque aturâ habeat illud temperamentum, quod aturam ſuam reddit habilem, & capacem irtutum, & actionum Reip. neceſſariarum. loc temperamentum *Furius* judicat eſſe *nguineum*, vel cholericum: Quorum lud, Sanguineum puta, quod nimirum alidum & humidum eſt, homines reddit lacidos, hilares, carnoſos, benè coloratos: Hoc, *Cholericum* ſcilicet, quod calidum eſt & ſiccum, reddit audaces, ad iram pronos, vigilantes, ingenioſos, agiles, celeres, macilentos. Hinc his temperamentis prædititi, ngenii acrimoniâ, memoriâ, judicioque valent, juſti, affabiles, fideles, benefici, magnifici, magnanimi, fortes corpore alacres, agiles, ſanè & benè temperati ſunt. Et quamvis verum ſit, quòd *Phlegmaticum* reddat homines ſomnolentos, timidos, pigros & lentos, malè coloratos; *Melancholicum* triſtes, moroſos, deſides, & ſpeculabundos: Tamen *Connimbricenſes* ex Ariſtotele putant, optimum temperamentum eſſe Cholericum Melancholiâ permixtum; ita enim expreſſè loquitur Ariſtoteles *Sect. 30. Probl. probl. 1.* Cur homines, qui ingenio claruerunt, vel in ſtudiis Philoſophiæ, vel In Rep. Administranda, &c. melancholicos

delectantur; quod quantâ cum pernicie Principum ſit conjunctum, dici vix poteſt. *Vid. Piccart. l. 4. Polit. cap. XI. pag. mihi 581.* ℞. Licet non negem, acutiores ſubtilioresque Conſiliarios non rarò ſuo acumine nocere Reip. ita ut hoc in caſu, Bonos, Cordatos, & Prudentiâ aliquâ civili præditos, ingenioſioribus prætulerim, quia, ut animorum motibus vehementioribus, ita celeritate ingenii ad malum haud rarò abutitur imbecillitas naturæ: non tamen hoc ingenio, aut ingenii alacritati per ſe tribuendum eſt. Nam 1. hoc acumine Conſiliarius rectè debet uti, ne nomen ſophiſtæ, aut novatoris, ſive contumacis mereatur. 2. Stipatum tale ingenium debet eſſe aliis virtutibus, ut in ſequentibus dicemus: Ingenium enim tale non tantum debet eſſe acutum, magnum & alacre, ſed inſuper rectæ rationis normâ directum.

Mediocria ingenia ingens, & excellentibus non rarò ſunt meliora.

Virtutes naturales corporis in Conſiliario.

9. Vidimus requiſita, ſive virtutes Animi in Conſiliario naturâ exiſtentes: Accedamus ad illas, quæ eâdem matre Conſiliario ingenita eſſe debent, quoad corpus. Inter eas 1. ponimus corporis Conſtitutionem; ſive Temperamentum, rebus gerendis aptum. Nam temperamenta quædam ex ſe ſunt capacia, atque rebus apta & idonea: quædam verò ad res gerendas ſtupida, inepta, atque tenebricoſa, vel, ut rectiùs loquamur,

Temperamentum bonum.

loquamur, faciunt homines ſtupidos, ineptos atque tenebricoſos. *V. Diſput. noſtram de Temperamentis* §. 24. Conſiliarius itaque naturâ habeat illud temperamentum, quod naturam ſuam reddit habilem, & capacem virtutum, & actionum Reip. neceſſariarum. Hoc temperamentum *Furius* judicat eſſe *ſanguineum*, vel cholericum: Quorum illud, Sanguineum puta, quod nimirum calidum & humidum eſt, homines reddit placidos, hilares, carnoſos, benè coloratos: Hoc, *Cholericum* ſcilicet, quod calidum eſt & ſiccum, reddit audaces, ad iram pronos, vigilantes, ingenioſos, agiles, celeres, macilentos. Hinc his temperamentis præditi, ingenii acrimoniâ, memoriâ, judicioque valent, juſti, affabiles, fideles, benefici, magnifici, magnanimi, fortes corpore alacres, agiles, ſanè & benè temperati ſunt. Et quamvis verum ſit, quòd *Phlegmaticum* reddat homines ſomnolentos, timidos, pigros & lentos, malè coloratos; *Melancholicum* triſtes, moroſos, deſides, & ſpeculabundos: Tamen *Connimbricenſes* ex Ariſtotele putant, optimum temperamentum eſſe Cholericum Melancholiâ permixtum; ita enim expreſſè loquitur Ariſtoteles *Sect.* 30. *Probl. probl.* 1. Cur homines, qui ingenio claruerunt, vel in ſtudiis Philoſophiæ, vel In Rep. Administranda, &c. melancholicos

cholicos omnes fuiſſe videmus? *V. Conimbr. l. 2. de Gener. & Corrupt. c. 8. quæſt. 4. a. 3. ad 4. Keckermann. in Syſtem. Polit. lib. 1. cap. 7. pag. 161.*

Iuſta ſtatura. 10. Alterum Naturæ requiſitum corporis non inepte judicatur eſſe juſta ſtatura, mediâ proceritate & craſſitie conſtans. *Vide Bernegg. in Diſput. de Aulâ Principis, pag. 11.* Etenim qui craſſi nimis ſunt, & ita obeſi, ut vix loqui, ambulare, aut alia quædam munia obire poſſint, omnium riſui ſunt expoſiti, ſtupidi, & inertes plerumque, quia nimium terræ & materiæ habent, quæ cauſa mali Ariſtoteli dicitur, 4. *de Part. Animal. c.* 10. *Materia cauſa mali* Materia enim impedit noſtrum intellectum, quò minùs liberè fungi officio poſſit, uti Philoſophis hoc indubitatum eſt. Quid? quòd talis craſſities ex hac ipsâ causâ anſam proverbio dedit, *craſſâ Minervâ* fieri dicitur, quod inconditius, ſimplicius, & quaſi indoctius fit, nec exquiſitâ arte, aut exactiſſimâ curâ. *V. Eraſm. in Adagiis.* De nimiùm proceris non tantùm probabiliter *Homo longus.* Philoſophi & Aſtrologi judicant, cumprimis *Scaliger in Exerc.* quòd monſtris ſimiles ſint, cùm juſtam ſtaturæ humanæ normam excedant, ſed etiam, quod deſtituti ſint prudentiâ & ſapientiâ: Etenim nec hìc fallit proverbium: *Homo longus rarò ſapit. Vid. Trajan. Boccalin. Cent. 1. Reip. Parnaſſ. Diſc.* 74.

74. *Alexander Problem. 26.* Sed nec illud Ethicorum: Virtus unita fortior eſt diſperſâ. Et quamvis brevioris ſtaturæ homines itidem ſuis vivant vitiis, non tamen tot ea ſunt, quot in proceris: Illi enim ferè ſolùm temeritate & iracundiâ peccant, ex caloris brevibus cancellis incluſi vehementiâ, & in ſanguinem agentis celeritate.

Pulchritudo. 11. Tandem nativam quoque habeat pulchritudinem, quæ conſiſtit non tantùm in vultus comitate, ſive liberali facie, ſed etiam juſtâ membrorum proportione & convenientiâ. De qua Pulchritudine videantur elegantiſſimæ duæ diſputationes habitæ Argentorati, Anno 1651. ſub Præſidio *Plurim. Rev. & Excellentiſſ. Dn. Jacobi Schalleri, S. Theol. D. & Philoſoph. Practic. P. P. Dn. Fautoris & Amici mei Candidiſſimi.* Non ſit torvis oculis, non luſcus, non maculâ aliquâ naturali notatus inſigniter, non gibboſus, non varus, non capito, claudus, aut alio modo mutilus. Etenim monſtroſa corporis facies monſtroſi ac pravi animi index plerumque rectè habetur. Vid. *Gerhardus Johannes Voßius in Orator. l. 1. part. 1. pag. mihi. 79.* Unde bene habet illud *Pallada lib. 2.* Ἀνθολογίας, *tit.* εἰς χωλοὺς:

Homines monſtroſi. *Χωλὸν ἔχεις τὸν νοῦν, ὡς τὸν πόδα· καὶ γὰρ ἀληθῶς*
Εἰκόνα τῶν ἐντὸς σὴ φύσις ἐκτὸς ἔχει.

Thomas Morus ita reddidit:

Clauda tibi mens eſt, ut pes: Natura notaſq;
Exterior certas interioris habet.

Et *Caſſius Latro Sophiſta probl. 61.* Homines monſtroſi etiam deſipiunt? Quod, quæ animæ ſunt, concinant cum iis, quæ ſint corporis, haud ſecus atque ea, quæ ſunt corporis, conſpirant cum illis, quæ ad animam pertinent. Item *Erato Terpſithea apud Theophyl. Simocat.* Naturæ ſum admirata ſapientiam, quæ peſſimæ animæ non concredidit venuſtatem corporis. Hinc *Medea apud Ovid. 7. Metamorphos.*

—— —— Sed non is vultus in illo,
Non ea nobilitas animo eſt, ea gratia formæ,
Ut timeam fraudem, meritiq; oblivia noſtri.

Unde *Ariſtoteli* tribuitur illud vulgatum: Quem natura notat, hunc tu caveto. Habeat itaque Conſiliarius caput mediocre atq; rotundum, non acuminatum, aut nimis parvum; vultum longiorem, quàm rotundiorem, non parvum, vel nimium carnoſum; frontem magnam, aut mediocrem, non parvam vel triſtem; oculos mediocres, claros, alacres, atque ſedatos; naſum aquilinum, non craſſum aut contortum; labia grandiuſcula, non tamen pendula. Verbo; Vultus ſit gratioſus & placidus, bonosque mores præ ſe ferens. Nam corporis dotes excipiunt dotes animi: & extrinſeca pulchri-

chritudo divinæ pulchritudinis imaginem refert.

12. At *dicis*: Sæpe tamen imponere formam. Unde *Scylla in Ciri*: *Forma indicia, fallacia.*

Non equidem ex iſto ſperavi corpore poſſe
Tale malum naſci: Formâ, vel ſidere fallor.

Item *Theſeus in Hippolyt. ap. Senec. v. 915.*

O vita fallax! Abditos ſenſus geris,
Animisq; pulchram turpibus faciem induis.

Atque ita ſæpe ſub ignobili formâ latet pulcherrima natura, & ſub ignobili corpore pulcherrimus animus. *Vid. Clariſſ. Scheurel. diſſertat. Polit. 4. aphor. 33. pag. mihi 195.* Verùm rariſſimum hoc eſt, ſi nimirum pulchritudo intelligitur illa, quam *Cicero* non in venuſtate, ſed in dignitate ponit. Fucata verò & muliebris pulchritudo omnis fucata eſt, uti ipſa mulierum natura plerùmque ſolet eſſe. Ac dignitas corporis aptâ membrorum compoſitione movet oculos, & delectat vel hoc ipſo, quòd omnes partes cum quodam lepôre inter ſe conſentiunt. Ita Scipio Africanus Major formæ dignitate Barbaris in Hiſpaniâ admirationi fuit. Tantâ ſpecie, ait *Jovius in vitâ Sfortiæ*, ad exprimendum omne decus in magno Sfortiâ diſſimilium rerum partes ratione atque ordine reſpondebant, ut à rudibus, ruſticaniſque, qui eum nunquam vidiſſent, pari inter multos cultu, & ſæpe ſine comitatu, uti

 omnium

omnium Princeps atq; Imperator ſalutaretur. Exemplum recens potuit quoque eſſe *Guſtavus Magnus, Suecorum Rex.* Et *Curtius ait: lib. 6. c. 5. n. 29.* Etiam Barbaris hominibus in corporum majeſtate veneratio eſt, magnorumque operum non alios capaces putant, quam quos eximiâ ſpecie donare Natura dignata eſt.

Virtutes Conſiliarii acquiſita. 13. Atque hæc dicta ſunto de requiſitis Conſiliario inſitis; Agamus jam de virtutibus acquiſitis: Cùm autem illæ virtutes, præter pietatem, pleræque ſint Morales, ante omnia neceſſe eſt, ut Conſiliarius animum habeat ab affectibus liberum; *Vid. Hippol. A Collibus de Conſiliiariis pag. mihi* 32. 33. Niſi enim hoc modo Conſiliarius liber, ſed perturbationibus & corporis affectibus implicitus vivat, quomodo poterit ſapiens reddi: & imbui intellectus virtutibus? Qui enim ſcientiis vult navare operam, neceſſe eſt, ut prius animum ab affectibus, intellectum captivum tenentibus, liberet, ut ſic melius veritatem cernere, & eidem adſtipulari queat. *Vid. Piccart. Hypotypoſ. p.* 103. Prius oportet, ut mentis oculum è cœno Barbariæ emergas, quàm ad cœleſtia (Sapientiæ ſtudia) animum extollas, *inquit Hornejus in Orat. de Philoſ. Moralis ſtudiis.* Huc quadrat, quod *Imp. Juſtinianus in Conſtit. de ration. & method. diſcendi jura:* Oportet prius ani-

mâ, & poſtea linguâ fieri eruditos. Enimverò ſpeculatio animi libertatem quærit, liber autem eſſe non poteſt, cui affectus imperat, & cupiditates dominantur: Quomodo enim ventri aut ſcorto deditus rectè ſpeculabitur, aut ab eâ pendens veritatis conſtantiam quæret? Quis alienæ fortunæ invidens probè ratiocinabitur, aut irâ perpetuò flagrans juſtitiæ ſemitam diſcernet? Quis fœdiſſimæ avaritiæ laqueis irretitus, miſerrimæ ambitionis fumo liqueſcens, ad Philoſophiam, rerum omnium contemplatricem, evolabit? Principem autem locum inter omnis generis virtutes obtineat PIETAS: Hæc enim fundamentum eſt, non tantùm Reip. uti *in Diſp. de Religione ſufficienter oſtendi*, ſed quoque omnium actionum humanarum bonarum, atq; ſic quoque conſiliorum. Conſiliarii enim, qui Principi ſuggerere debet ſalutaria conſilia pacis bellique tempore, quod ſine fidelitate atque prudentiâ fieri non poteſt, Pietas, tum Fidelitatis, tum Prudentiæ ſuſtinebit fulcrum, imò principium & finem: hocque ipſis Sacris Literis atteſtantibus, *Proverb.* I, 7. Principium Sapientiæ timor Domini: & *Cap.* IX, 10. Principium Sapientiæ timor Domini, & ſcientia Sanctorum prudentia, *Syr. c.* I, 14. 16, 20, 21, 22. Dilectio Dei, honorabilis Sapientia. Initium Sapientiæ timor Domini.

Pietas.

mini. Plenitudo ſapientiæ eſt, timereDeum, & plenitudo à fructibus illius. Omnem domum illius implebit à generationibus, & receptacula à theſauris illius. Corona Sapientiæ, timor Domini, replens pacem & ſalutis fructum. Contra Impii prudentia manus Diaboli exiſtit: Imò tantò pernitioſior eſt omnis eruditio, quò pejùs ſubjectum eſt, in quo exiſtit: non ſecùs, ac Eloquentia, facultas alias laudatiſſima, ſi in ſeditioſum inciderit, longè eſt nocentior, quàm gladius in manu hominis furioſi. *Vid. tract. noſtrum de Factionibus cap. 5. §. 4.* Quia hoc modo venenum vino generoſiori, Sapientiæ ſcilicet ſive Prudentiæ mixtum pernicius, perniciosiusque graſſatur, *l. c. c.* 4.

Semina Virtutum Moralium in Brutis.

14. Fundamento omnis Virtutis & Eruditionis ita jacto, de ſuperſtructo ut ſimus ſolliciti, ordo requirit: Et quoniam virtutes animi, h. e. intellectuales, moralibus, quæ ſuo modo, juxta ſemina puta Naturæ, *teſte Cicerone*, etiam in bruta cadunt, ſint præſtantiores, age, ordine dignitatis conſiderabimus priori loco Virtutes, quæ intellectum Conſiliarii informent, illasque uno nomine voco Philosophiam. Hæc cùm aliquot partibus conſtet, quarum nonnullæ ſunt principales, nonnullæ inſtrumentales, faciamus initium ab inſtrumentalibus, puta Linguarum Cognitione, & Dialecticâ.

Philoſophia.

Linguarũ Cognitio.

Vid.

Vid. Beruerg. in Boni Princip. Qualitat. th. 10.
Linguarum cognitione opus eſtConſiliario, non tantum quia Conſiliarius peregrinas oras perluſtrare debet, ubi ſanè non omnibus una lingua; neque ſolùm quia Principibus aliquando cum aliis Principibus, aut hominibus, qui in terris linguarum diverſiſſimarum remotiſſimis habitant, negotium intercedit, ubi ſanè rurſus Conſiliarii linguas illas populorum, maximè ſi Princeps illas non novit, cognitas habeant neceſſe eſt: ſed etiam, & maximè, quia in Græcorum libris multa, magnaque eruditio recondita eſt. Taceo, linguarum cognitionem Conſiliario quoque neceſſariam eſſe ex illo capite, ſi Princeps pluribus populis diverſarum linguarum imperat. Nihil dicam de Legationibus, quas haud raro Conſiliarius obire debet. Imò talem linguarum cognitionem in Conſiliario eſſe neceſſariam, quis negaverit? cùm eam in Electorum filiis neceſſariò inveniri præceperit *Car. IV. in Aurea Bulla, cap. ult.* cumprimis linguæ Bohemicæ, Gallicæ, & aliarum Germaniæ vicinarum gentium quis non dixerit neceſſariam hodiè conſiliariis?

15. Iisdem penè rationibus Eloquentiæ neceſſitas in Conſiliario perſuaderi & demonſtrari poteſt. Accedit, quòd Principi ſæpè quædam perſuadenda, quædam diſſua- *Eloquẽtia*

denda; quod ſanè multò facilius Eloquentiâ fieri poteſt, quàm verbis incomptis, aut nudis admonitionibus: Siquidem Eloquentia armis paria facit, ut apparet in Epaminonda *apud Æmylium Probum cap. 6. §. 4.* Maximè, *inquit*, ejus Eloquentia eluxit Spartæ, quò cùm omnium Sociorum convenissent Legati, coram frequentiſſimo Legationum conventu ſic Lacedæmoniorum tyrannidem coarguit, ut non minus illâ oratione opes eorum concuſſerit, quàm Leuctrica pugna. *Adde Val. Max lib. 8. cap. 9.* exemplum Publ. Valerii. Principes duci volunt Eloquentiâ, non præceptis trahi: Ineſt quidem & Eloquentiæ vis, ſed grata: Etenim

Nil tam difficile eſt, quod non perſuadeat, & non
Efficiat docti lingua diſerta Viri.

Et *Virgilius* canit:

—— Magno in populo cùm ſæpe coorta eſt
Seditio, ſævitq; animis ignobile vulgus,
Jamq; faces & ſaxa volant, furor arma miniſtrat,
Tùm pietate gravem ac meritis ſi forte virum quem
Conſpexère, ſilent, arrectis auribus aſtant,
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

A deòque in ſeditione, tumultu exercitus, motu populi, & aliis factionibus illicitis, cùm

cùm Principi à Conſiliis eſſet debet, aut aliquando ipſi' Principis perſonam in ſedandis populis ſuſtinere, cum turbæ furenti Princeps immiſcere ſe non debeat, ſanè Eloquentiâ inſtructus ſit, neceſſe eſt, imò quantò quisque Eloquentior, tantò ad motus ſedandos eſt accommodatior. Nihil itaque ad conſervandam Rempubl. & Principem in viam reducendum utilius, efficaciusve ipſa Conſiliarii boni Eloquentiâ, ſicut contra homo improbus, ſi diſertus ſit, Rempublicam nullo negotio conturbat, & ad quodvis flagitium impellit.

16. Cùm autem Eloquentiâ ſine ordine non eſſe poſſit, & oratio non probe concinnata, nō ſit oratio, ſed ſcopæ diſſolutæ, & verborum nudus ſtrepitus; niſi Logicâ ceu fundamento nitatur, nullius roboris erit ulla Eloquentia, ſed garrulitas erit: In ruinam enim prona ſint neceſſe eſt, quæ ſine fundamento excrevêre, *teſte Seneca l. 1. de Ira c. 16.* Hoc capite ſolùm, ſi non ex aliis cauſis, Conſiliario neceſſaria erit illa ars, quæ rem definiendo explicat, in partes tribuit, argumento confirmat, atque in omni diſputatione, quid verum, quid falſum, quid probabile, quid abſonum ſit, acutè perſpicit, Dialectica, ut in deliberationibus verum à falſo diſcernere, lucem rebus obſcuris afferre, con- *Logica.*

 fuſa

fuſa modo & ordine collocare, mendacia & vanitatem refellere, ſententiam validis argumentis confirmare poſſit: Cùm & Eloquentiæ ſit fundamentum, ut jam dictum, & reliquis ſubſerviat diſciplinis neceſſariis Conſilio: Sophiſtarum autem more quæſtionem in conventu tractare, & de re quâvis diſputare, quod Conſiliarii autoritati & candori eſſet contrarium, neutiquam volumus. *Vid. Johan. Marianam de Reg. Inſtitut. lib. 2. cap.* 8.

Hiſtoria. 17. Porrò, niſi Conſiliarium noſtrum infantem eſſe volumus, Hiſtoriarum cognitionem habeat neceſſe eſt. Siquidem neſcire, quid, antequam natus ſis, acciderit, id eſt ſemper eſſe puerum, *inquit Cicero ad Brutum.* Hiſtoria enim, *Polyb. teſte l.* 1. veriſſima diſciplina eſt, & exercitatio ad res civiles. Hiſtoria eſt prudentiæ & ſapientiæ principium: *Dionyſ. Halicarn.* Nobiſcum communicat perpetuam exemplorum copiam, & totius humanæ vitæ theatrum: *Thucyd. l.* 1. Prudentum conſilia, fortiumq; præclara facta commemorat, temeritatis & amentiæ exitus infelices enarrat: *Middendorp. ad quæſt.* 68. *Ptolomæi.* Unde Johannes *Ovvenus*:

Hiſtorias verſando, peritus id abſq; periclo,
Quod docti damnis experiuntur, habet.

Nec tam multa gravis rerũ experientia longo
Tempore, quàm parvo te docet Hiſtoria.

Quemadmodum, *inquit Quintil. l. 12. Inſt. c.* 4. ſenex prudentior juvene habetur, quoniam per plures annos, quæ fierent, vidit: ita etiam fatendum eſt, prudentiſſimum illum fore, qui non ætatis ſuæ modò, ſed & præteritorum geſta cognoverit. Speculum civilis vitæ Hiſtoria eſt, in quo Heroës, Principes, Nobiles, & quotquot Reip. & Imperio deſtinati ſunt, ſe contemplari debent. Vid. elegantiſſima *Illuſtris Bœckleri diſſertatio*, quam inſcripſit, *Hiſtoriam, Scholam Principum*. Et quid multis opus eſt? Ipſe *Cicero* teſtatur, quod Hiſtoria ſit teſtis temporum, nuncia vetuſtatis, lux veritatis, vita memoriæ, & Magiſtra vitæ. Item *Livius in Princip. ſuæ hiſtoriæ*: In Hiſtoriis illud præcipuè ſalubre eſt, ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illuſtri poſita monumento intueri: inde tibi, Tuæque Reip. quod imitere, capias, inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites. Ex quo rectiſſimè *Stigelius*:

Qui legis Hiſtorias, nec mores inde gubernas,
Utilùs poteras ludere, quàm legere.

Adde Johann. *Caſſelium in* περιπολιτικῷ. *c.* 26.

18. Inſtrumentalibus & Hiſtoriâ in Conſiliario ita cognitis; Eas alia excipit intellectus virtus, Philoſophia Theoretica, quam *Philoſoph. Theoretica*

quam

quam licet multi contemptui habeant, nobis tamen nullis rationibus perſuadebunt, quin firmiter credamus, etiam in Conſiliario requiri. Nihil jam dicam de Arithmeticâ, nihil de Geometriâ, aut de aliis Mathematicis (*Vid. Diſp.* 3. *ad offic. Ciceron. Cl.* Jacobi *Brunonis*, *quondam Collegæ noſtri honorandi*, ἐπίμνηστον) diſciplinis, quæ juxta aliquot inter Philoſophiæ Theoreticæ partes referuntur; Tantùm Phyſicam adducam & Aſtrologiam. Quis has non pro neceſſariis in Conſiliario agnoſcet, qui Principi tùm pacis, tùm belli tempore à conſiliis eſſe debet? Niſi enim Conſiliarius Eclipſium & aliorum prodigiorum cauſas naturales ſciat, facilè in rebus agendis ab iis impediri poteſt, & inde Reip. magnum creare periculum, ſicuti Niciæ exercitus internecione deletus fuit, cùm eum Nicias præ metu Eclipſeos intra caſtra continuiſſet: *Plutarch. in Nic. & Thucyd. l.* 7. *pag. mihi* 339. Adde *Annot. in Thucyd. Enenckelli p.* 656. Item ridiculum ſe præbuit, teſte *Senecâ l.* 5. *de Benefic. c.* 6. Archelaus Rex, qui, deficiente ſole, ſolebat regiam claudere, & filiam quaſi in maximo luctu tondere. *Cleombrotus* etiam ob defectum ſolis exercitum retro duxit; *Herodot. l.* 9. Pariter vano metu multi homines eclipſi Solari territi, fontes, aliasque aquas tegere voluerunt, ne vitium aut venenum inde contraherent,

Phyſica. Aſtrologia

rent, Anno 1654. d. 2. Auguſt. *Styl. Vet.* Rectiùs Pericles militibus cauſas deliquii ſolis expoſuit, & à metu liberavit: *Valer. Max. l.* 8. *c.* XI. Sic poſtquam Agathocles in Africam curſum ſuum direxit, comitibus adultis duobus filiis, Archagatho & Heraclida, at verò militum animos portenti religio, quod illis navigantibus ſol defecerat, terruerat, non minus Rex rei hujus, quàm belli rationem reddidit, affirmans, ſi prius quàm proficiſceretur, factum eſſet, ſe crediturum adverſum profectos prodigium eſſe: nunc quia egreſſis acciderit, illis, ad quos eatur, portendere. Porrò defectus naturalium ſiderum ſemper præſentem rerum ſtatum mutare, certumque eſſe, florentibus Carthaginenſium opibus, adverſisq; rebus ſuis commutationem ſignificari. *Vid. Juſt. l.* 22. *c.* 6. Similiter Ægyptiorum vatum reſponſo, vaſro licet, animi militum Lunæ defectione turbati eriguntur apud *Curtium l.* 4. *cap.* 10. Primâ ferè vigiliâ, *inquit*, Luna deficiens, primum nitorem ſideris ſui condidit, deinde ſanguinis colore ſuffuſo lumen omne fœdavit: ſolicitisque ſub ipſum tanti diſcriminis caſum ingens religio, & ex ea formido quædam incuſſa eſt. Diis invitis in ultimas terras trahi ſe querebantur: jam nec flumina poſſe adiri; nec ſidera priſtinum præſtare fulgorem: vaſtas terras, deſerta omnia occurre-

curere: in unius hominis jactationem tot militium ſanguinem impendi: faſtidio eſſe patriam; abdicari Philippum patrem: cœlum vanis cogitationibus peti. Poſtquam verò Rex Ægyptios vates, quos cœli ac ſiderum peritiſſimos eſſe credebat, quid ſentirent, exponere juſſerat, illi qui ſatis quidem ſcirent, temporum orbes implere deſtinatas vices, lunamq; deficere, cùm aut terram ſubiret, aut ſole premeretur, rationem quidem perceptam non edocent, ſed affirmant, Solem Græcorum, Lunam eſſe Perſarum; quoties illa deficiat, ruinam, ſtragemque illis gentibus portendi. *Vid. Freinshem. in comment. in cit. c. n.* 2. Plura exempla lege apud. *Arniſæ. in doctrin. Polit. l.* 2. *c.* 2. *p.* 364. *Piccart. in Obſerv. Polit. dec.* 10. *c.* 3. Similiter Cometæ plerumq; hominibus metum futuri periculi incutere ſolent, qui tamen metus à perito Phyſico excuti facilè poterit; ſi cauſas eorum noverit. Habeant itaq; ſibi rem ſuam, quiſcum *Eraſmo in præfat. Sueton. ad Frider. Elector. Palatin. & Athenæo l.* 13. *c.* 33. Philoſophos ſenſu ferè communi carere aſſerunt, deque illis injurioſum hoc effutiunt.

Vid. Marquard. Freherũ in tr. de Exiſt. pag. 56.

> *Heu mihi! Philoſopharis? Atqui Philoſophi*
> *Sermone ſolo ſünt ſapientes: Cæteris*
> *In rebus eſſe* novi ego ſtultiſſimos.

Et ne ſine Philoſopho hoc dixiſſe videantur, producunt *Ariſtotelem in Polit.* dicentem,

Philo-

Philoſophos non eſſe aptos & idoneos ad Remp. gubernandam. *Vid. Tholoſſan. l. 10. de Republ. c. 6. n. 2. l. 17. c. 7. n. 16.* Et *6. Eth. c. 7.* σοφὺς μὲν, ἀλλ' ὐ φρονίμυς, Sapientes quidem, ſed non prudentes vocat: Item *Socrates apud Platonem in Theateto*, eos, qui in Philoſophiæ ſtudio longo tempore, vel per omnem ætatem ſunt verſati, ait ridiculos eſſe, ubi ad forum venerint. *Vid. Philoſophorum illeoſor, tr. de Privil. Doct. q. 48. Cui reſpondet Excellent. Dn. D. Cellarius in Polit. Succinct. libr. 2. c. 14. §. 86. & ſeqq.* Imò ex hac cauſâ Philoſophos, Rhetores â tutelæ munere excuſari nonnulli putant *§. item Romæ 17. Inſtit. de Excuſat. Tut.* Siquidem R. hæc omnia non eſſe accipienda excluſivè, ſed incluſivè: Hoc eſt, Conſiliarius non debet unicè & ſolitarè operam dare Philoſophiæ Theoreticæ, neglectis iis, quæ proximè ad Remp. ſpectant, neque etiam debet maximam vitæ partem in his ſtudiis conſumere; non enim nos latet, non decere mullum temporis in umbrâ & otio literario conterere eum, cui ſalus publica commiſſa eſt: Non tamen prorſus earum ſcientiarum debet eſſe ignarus. Imò audacter dico, Conſiliarium ſine Philoſophiæ Theoreticæ cognitione haud aliter differre à verò Conſiliario, quàm agyrta aut circumforaneus à vero medico; aut grandis legiſta à verò juriſconſulto.

19. Ipſi

mini. Plenitudo ſapientiæ eſt, timere Deum, & plenitudo à fructibus illius. Omnem domum illius implebit à generationibus, & receptacula à theſauris illius. Corona Sapientiæ, timor Domini, replens pacem & ſalutis fructum. Contra Impii prudentia manus Diaboli exiſtit: Imò tantò pernitioſior eſt omnis eruditio, quò pejùs ſubjectum eſt, in quo exiſtit: non ſecus, ac Eloquentia, facultas alias laudatiſſima, ſi in ſeditioſum inciderit, longè eſt nocentior, quàm gladius in manu hominis furioſi. *Vid. tract. noſtrum de Factionibus cap. 5. §. 4.* Quia hoc modo venenum vino generoſiori, Sapientiæ ſcilicet ſive Prudentiæ mixtum perniciùs, perniciofiusque graſſatur, *l. c. c. 4.*

Semina Virtutum Moralium in Brutis. 14. Fundamento omnis Virtutis & Eruditionis ita jacto, de ſuperſtructo ut ſimus ſolliciti, ordo requirit: Et quoniam virtutes animi, h. e. intellectuales, moralibus, quæ ſuo modo, juxta ſemina puta Naturæ, *teſte Cicerone*, etiam in bruta cadunt, ſint præſtantiores, age, ordine dignitatis conſiderabimus priori loco Virtutes, quæ intellectum Conſiliarii informent, illaſque uno nomine voco Philosophiam. *Philoſophia.* Hæc cùm aliquot partibus conſtet, quarum nonnullæ ſunt principales, nonnullæ inſtrumentales, faciamus initium ab inſtrumentalibus, *Linguarũ Cognitio.* puta Linguarum Cognitione, & Dialecticâ.

Vid.

Vid. Beruerg. in Boni Princip. Qualitat. th. 10.
Linguarum cognitione opus eſtConſiliario, non tantum quia Conſiliarius peregrinas oras perluſtrare debet, ubi ſanè non omnibus una lingua; neque ſolùm quia Principibus aliquando cum aliis Principibus, aut hominibus, qui in terris linguarum diverſiſſimarum remotiſſimis habitant, negotium intercedit, ubi ſanè rurſus Conſiliarii linguas illas populorum, maximè ſi Princeps illas non novit, cognitas habeant neceſſe eſt: ſed etiam, & maximè, quia in Græcorum libris multa, magnaque eruditio recondita eſt. Taceo, linguarum cognitionem Conſiliario quoque neceſſariam eſſe ex illo capite, ſi Princeps pluribus populis diverſarum linguarum imperat. Nihil dicam de Legationibus, quas haud raró Conſiliarius obire debet. Imò talem linguarum cognitionem in Conſiliario eſſe neceſſariam, quis negaverit? cùm eam in Electorum filiis neceſſariò inveniri præceperit *Car. IV. in Aurea Bulla, cap. ult.* cumprimis linguæ Bohemicæ, Gallicæ, & aliarum Germaniæ vicinarum gentium quis non dixerit neceſſariam hodiè conſiliariis?

15. Iisdem penè rationibus Eloquentiæ neceſſitas inConſiliario perſuaderi & demonſtrari poteſt. Accedit, quòd Principi ſæpè quædam perſuadenda, quædam diſſua- *Eloquētia*

denda; quod ſanè multò facilius Eloquentiâ fieri poteſt, quàm verbis incomptis, aut nudis admonitionibus: Siquidem Eloquentia armis paria facit, ut apparet in Epaminonda *apud Æmylium Probum cap. 6. §. 4.* Maximè, *inquit*, ejus Eloquentia eluxit Spartæ, quò cùm omnium Sociorum conveniſſent Legati, coram frequentiſſimo Legationum conventu ſic Lacedæmoniorum tyrannidem coarguit, ut non minùs illâ oratione opes eorum concuſſerit, quàm Leuctrica pugna. *Adde Val. Max lib. 8. cap. 9.* exemplum Publ. Valerii. Principes duci volunt Eloquentiâ, non præceptis trahi: Ineſt quidem & Eloquentiæ vis, ſed grata: Etenim

Nil tam difficile eſt, quod non perſuadeat, & non
Efficiat docti lingua diſerta Viri.

Et *Virgilius* canit;

—— Magno in populo cùm ſæpe coorta eſt
Seditio, ſævitq; animis ignobile vulgus,
Jamq; faces & ſaxa volant, furor arma miniſtrat,
Tùm pietate gravem ac meritis ſi forte virum quem
Conſpexere, ſilent, arrectis auribus aſtant,
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Adeòque in ſeditione, tumultu exercitus, motu populi, & aliis factionibus illicitis, cùm

cùm Principi à Conſiliis eſſet debet, aut aliquando ipſi⁹ Principis perſonam in ſedandis populis ſuſtinere, cum turbæ furenti Princeps immiſcere ſe non debeat, ſanè Eloquentiâ inſtructus ſit, neceſſe eſt, imò quantò quisque Eloquentior, tantò ad motus ſedandos eſt accommodatior. Nihil itaque ad conſervandam Rempubl. & Principem in viam reducendum utilius, efficaciusve ipſa Conſiliarii boni Eloquentiâ, ſicut contra homo improbus, ſi diſertus ſit, Rempublicam nullo negotio conturbat, & ad quodvis flagitium impellit.

16. Cùm autem Eloquentiâ ſine ordine non eſſe poſſit, & oratio non probe concinnata, nõ ſit oratio, ſed ſcopæ diſſolutæ, & verborum nudus ſtrepitus; niſi Logicâ ceu fundamento nitatur, nullius roboris erit ulla Eloquentia, ſed garrulitas erit: In ruinam enim prona ſint neceſſe eſt, quæ ſine fundamento excrevêre, *teſte Seneca l. 1. de Ira c. 16.* Hoc capite ſolùm, ſi non ex aliis cauſis, Conſiliario neceſſaria erit illa ars, quæ rem definiendo explicat, in partes tribuit, argumento confirmat, atque in omni diſputatione, quid verum, quid falſum, quid probabile, quid abſonum ſit, acutè perſpicit. Dialectica, ut in deliberationibus verum à falſo diſcernere, lucem rebus obſcuris afferre, con- *Logica.*

 fuſa

fuſa modo & ordine collocare, mendacia & vanitatem refellere, ſententiam validis argumentis confirmare poſſit: Cùm & Eloquentiæ ſit fundamentum, ut jam dictum, & reliquis ſubſerviat diſciplinis neceſſariis Conſilio: Sophiſtarum autem more quæſtionem in conventu tractare, & de re quâvis diſputare, quod Conſiliarii autoritati & candori eſſet contrarium, neutiquam volumus. *Vid. Johan. Marianam de Reg. Inſtitut. lib. 2. cap.* 8.

Hiſtoria. 17. Porrò, niſi Conſiliarium noſtrum infantem eſſe volumus, Hiſtoriarum cognitionem habeat neceſſe eſt. Siquidem neſcire, quid, antequam natus ſis, acciderit, id eſt ſemper eſſe puerum, *inquit Cicero ad Brutum*. Hiſtoria enim, *Polyb. teſte l.* 1. veriſſima diſciplina eſt, & exercitatio ad res civiles. Hiſtoria eſt prudentiæ & ſapientiæ principium: *Dionyſ. Halicarn.* Nobiſcum communicat perpetuam exemplorum copiam, & totius humanæ vitæ theatrum: *Thucyd. l.* 1. Prudentum conſilia, fortiumq; præclara facta commemorat, temeritatis & amentiæ exitus infelices enarrat: *Middendorp. ad quæſt.* 68. *Ptolomæi.* Unde *Johannes Ovvenus*:

Hiſtorias verſando, peritus id absq; periclo,
Quod docti damnis experiuntur, habet.

Nec

Nec tam multa gravis rerũ experientia longo
Tempore, quàm parvo te docet Hiſtoria.

Quemadmodum, *inquit Quintil. l. 12. Inſt. c.* 4. ſenex prudentior juvene habetur, quoniam per plures annos, quæ fierent, vidit: ita etiam fatendum eſt, prudentiſſimum illum fore, qui non ætatis ſuæ modò, ſed & præteritorum geſta cognoverit. Speculum civilis vitæ Hiſtoria eſt, in quo Heroës, Principes, Nobiles, & quotquot Reip. & Imperio deſtinati ſunt, ſe contemplari debent. Vid. elegantiſſima *Illuſtris Bœckleri diſſertatio*, quam inſcripſit, *Hiſtoriam, Scholam Principum.* Et quid multis opus eſt? Ipſe *Cicero* teſtatur, quod Hiſtoria ſit teſtis temporum, nuncia vetuſtatis, lux veritatis, vita memoriæ, & Magiſtra vitæ. Item *Livius in Princip. ſuæ hiſtoriæ:* In Hiſtoriis illud præcipuè ſalubre eſt, ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illuſtri poſita monumento intueri: inde tibi, Tuæque Reip. quod imitere, capias, inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites. Ex quo rectiſſimè *Stigelius:*

Qui legis Hiſtorias, nec mores inde gubernas,
Utiliùs poteras ludere, quàm legere.

Adde Johann. *Caſſelium in* πεϱὶ πολιτικοῦ. *c.* 26.

18. Inſtrumentalibus & Hiſtoriâ in Conſiliario ita cognitis; Eas alia excipit intellectus virtus, Philoſophia Theoretica, quam *Philoſoph. Theoretica.*

quam licet multi contemptui habeant, nobis tamen nullis rationibus perſuadebunt, quin firmiter credamus, etiam in Conſiliario requiri. Nihil jam dicam de Arithmeticâ, nihil de Geometriâ, aut de aliis Mathematicis

Phyſica. *Aſtrologia*

(*Vid. Diſſ. 3. ad offic. Ciceron. Cl.* Jacobi *Brunonis, quondam Collegæ noſtri honorandi*, ἐπίμετρον) diſciplinis, quæ juxta aliquot inter Philoſophiæ Theoreticæ partes referuntur; Tantùm Phyſicam adducam & Aſtrologiam. Quis has non pro neceſſariis in Conſiliario agnoſcet, qui Principi tùm pacis, tùm belli tempore à conſiliis eſſe debet? Niſi enim Conſiliarius Eclipſium & aliorum prodigiorum cauſas naturales ſciat, facilè in rebus agendis ab iis impediri poteſt, & inde Reip. magnum creare periculum, ſicuti Niciæ exercitus internecione deletus fuit, cùm eum Nicias præ metu Eclipſeos intra caſtra continuiſſet: *Plutarch. in Nic. & Thucyd. l. 7. pag. mihi 339.* Adde *Annot. in Thucyd. Enenckelii p. 656.* Item ridiculum ſe præbuit, teſte *Senecâ l. 5. de Benefic. c. 6.* Archelaus Rex, qui, deficiente ſole, ſolebat regiam claudere, & filiam quaſi in maximo luctu tondere. *Cleombrotus* etiam ob defectum ſolis exercitum retro duxit; *Herodot. l. 9.* Pariter vano metu multi homines eclipſi Solari territi, fontes, aliaſque aquas tegere voluerunt, ne vitium aut venenum inde contraherent,

rent, Anno 1654. d. 2. Auguſt. *Styl. Vet.* Rectiùs Pericles militibus cauſas deliquii ſolis expoſuit, & à metu liberavit: *Valer. Max. l.* 8. *c. XI.* Sic poſtquam Agathocles in Africam curſum ſuum direxit, comitibus adultis duobus filiis, Archagatho & Heraclida, at verò militum animos portenti religio, quod illis navigantibus ſol defecerat, terruerat, non minus Rex rei hujus, quàm belli rationem reddidit, affirmans, ſi prius quàm proficiſceretur, factum eſſet, ſe crediturum adverſum profectos prodigium eſſe: nunc quia egreſſis acciderit, illis, ad quos eatur, portendere. Porrò defectus naturalium ſiderum ſemper præſentem rerum ſtatum mutare, certumque eſſe, florentibus Carthaginenſium opibus, adverſiſq; rebus ſuis commutationem ſignificari. *Vid. Juſt. l.* 22. *c.* 6. Similiter Ægyptiorum vatum reſponſo, vafro licet, animi militum Lunæ defectione turbati eriguntur apud *Curtium l.* 4. *cap.* 10. Primâ ferè vigiliâ, *inquit*, Luna deficiens, primum nitorem ſideris ſui condidit; deinde ſanguinis colore ſuffuſo lumen omne fœdavit: ſolicitiſque ſub ipſum tanti diſcriminis caſum ingens religio, & ex ea formido quædam incuſſa eſt. Diis invitis in ultimas terras trahi ſe querebantur: jam nec flumina poſſe adiri; nec ſidera priſtinum præſtare fulgorem: vaſtas terras, deſerta omnia occurre-

Philoſophos non eſſe aptos & idoneos ad Remp. gubernandam. *Vid. Tholoſſan. l.* 10. *de Republ. c.* 6. *n.* 2. *l.* 17. *c.* 7. *n.* 16. Et 6. *Eth. c.* 7. σοφὺς μὲν, ἀλλ' ὐ φρονίμυς, Sapientes quidem, ſed non prudentes vocat: Item *Socrates apud Platonem in Theateto*, eos, qui in Philoſophiæ ſtudio longo tempore, vel per omnem ætatem ſunt verſati, ait ridiculos eſſe, ubi ad forum venerint. *Vid. Philoſophorum ille oſor, tr. de Privil. Doct. q.* 48. *Cui reſpondet Excellent. Dn. D. Cellarius in Polit. Succinct. libr.* 2. *c.* 14. §. 86. *& ſeqq.* Imò ex hac causâ Philoſophos, Rhetores â tutelæ munere excuſari nonnulli putant §. *item Romæ* 17. *Inſtit. de Excuſat. Tut.* Siquidem Rx. hæc omnia non eſſe accipienda excluſivè, ſed incluſivè: Hoc eſt, Conſiliarius non debet unicè & ſolitarè operam dare Philoſophiæ Theoreticæ, neglectis iis, quæ proximè ad Remp. ſpectant, neque etiam debet maximam vitæ partem in his ſtudiis conſumere; non enim nos latet, non decere multum temporis in umbrâ & otio literario conterere eum, cui ſalus publica commiſſa eſt: Non tamen prorſus earum ſcientiarum debet eſſe ignarus. Imò audacter dico, Conſiliarium ſine Philoſophiæ Theoreticæ cognitione haud aliter differre à verò Conſiliario, quàm agyrta aut circumforaneus à vero medico; aut grandis legiſta à verò juriſconſulto.

19. Ipſi

19. Ipſi porrò requirimus Philoſophiam Practicam, quæ in ſe comprehendit Ethicam, Politicam, Oeconomicam. His ſi inſtructus non eſt, quomodo quæſo Jura Civilia interpretabitur, juxta illa ſententiam feret, & alios abſolvet, alios verò condemnabit, cum Ethica ſit Jurisprudentiæ (quâ Conſiliarius nullo modo carere poteſt, cùm ſit Diſciplina Regalis, & Regibus maximè conveniat, juxta *Bodinum l. 4. de Rep. c. 6*) fundamentum? Quomodo juſtitiam adminiſtrabit, ſi, quid juſtitia ſit, ignoret? Quomodo actiones humanas dijudicabit, ſi illarum principia neſciat? Quomodo aliis bene præerit; ſi ſuæ domui præeſſe non poteſt, uti colligere eſt ex, *1. ep. ad Timoth. III, 4*? Hanc itaq; non tantùm requirimus; ſed extra dubitationis quoque aleam poſitum eſſe ſcimus, cum *Platone*, nullam Remp. feliciorem eſſe, quàm quæ à Philoſophis moderatur, *l. 7. de Rep.* Etenim, *Seneca teſte*, facere docet Philoſophia, non dicere: & hoc exigit, ut verbis opera concordent, *ep. 20.* Audiamus *Ciceronem 5. Tuſcul. c. 2* hominem multum diuque in Rep. verſatum: O Philoſophia Dux, *exclamat*, ô virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum! Quid non modò nos, ſed omninò vita hominum ſine te eſſe potuiſſet? Tu urbes diſſipaſti: Tu diſſipatos homines in ſocietatem vitæ convocâſti;

Philoſoph. Practicâ.

vocâſti: *Jungatur Cic. in Orat. 32. pro Sextio. c. 42. pag. mihi 668.)* Tu eos inter ſe primò domiciliis, deinde conjugiis, tùm literarum & vocum communione junxiſti: Tu inventrix legum: Tu magiſtra morum & diſciplinæ fuiſti: Tu vitæ tranquillitatem largita nobis es, & terrorem mortis ſuſtuliſti. *Hæc Cicero.*

20. Fuerunt hactenus virtutes, & requiſita Conſiliarii Inſita, & partim Acquiſita, & quidem quoad Virtutes, Animum & Intellectum Conſiliarii potiſſimum informantes: Jam Virtutes quoque Morales, & requiſita, à Conſtantiſſimâ in ſuâ mutabilitate Deâ pendentia, conſiderabimus. Etenim Conſiliarius, utpote homo, non tantùm vitam divinam, ſive vitam optimam vivit, ut intellectualibus ſolùm operam det virtutibus; ſiquidem homini optima vita eſt, quæ menti convenienter traducitur: *Etenim hæc pars homo eſt maximè*, inquit *Ariſtot.* 10. *Eth. c.* 7. Sed quoque animalem, indigentem (quia perturbationibus obnoxia eſt) virtutibus moralibus, affectus & perturbationes moderantibus, ne in vitium degenerent, & humanam naturã quaſi penitus immutent. Item cùm Conſiliarii vita & natura, uti reliquorum omnium hominum, in pleriſque ſerva eſt, teſte Philoſopho *lib. α. Major. Metaph. c.* 2. h. e. multarum rerum indigentia

laborat, à quâ vindicare neceſſe habet, ſi vitam in plures annos protrahere velit, fortunæ quoque bonis affluat, neceſſarium erit.

21. Ut autem Virtutes Conſiliarii uno intuitu quaſi conſpiciamus, vocabimus cum *Lipſio* homines *Fidos* ſive *Prudentes*. Etenim vel ex Prudentiâ, vel ex Fidelitate, ſive ex utraque omnes reliquas virtutes deducere poterimus neceſſarias Conſiliario. De Prudentiâ nullum eſt dubium, quin ex ipsâ omnes oriantur cæteræ virtutes, quia virtus moralis in ſua definitione Prudentiam includit, quippe, quæ eſt habitus, non tàm ſecundum rectam rationem, quâm cum rectâ ratione: At recta de hujusmodi ratio eſt Prudentia, docente Ariſtotele *6. Eth. c. ult. in fin.* Taceo jam, ex hoc ipſo capite patere, cum Prudentia ita omnes reliquas virtutes connexas eſſe, ut qui prudentiam habet, virtutes cæteras habeat. *In iis*, inquit Philoſophus, *quibus abſolutè bonus* (h. e. virtute præditus) *vocatur quiſpiam, non licet*, (puta, illum aliquam habere virtutem, aliquam autem nondum,) *ſimul enim cum prudentiâ, quæ una eſt, omnes exiſtent.* Quapropter ſi debet eſſe Vir prudens, ſive Principi fideliter & prudenter ſuppeditare Conſilia, cæteras omnes quoque poſſideat virtutes, neceſſe erit.

22. Ex Fidelitate item plurimæ pro-

niunt

veniunt virtutes, ſi non omnes: Nam ſi fidus debet eſſe amicus Principi, nihil *ſimulabit*, nihil *diſſimulabit*, ſed Principem cautè & *modeſtè* de periculis admonebit, à vitiis decenter dehortabitur: & ſic *veritatem* ſemper, & loco competenti judicabit, non præpeditus metu ſive timore, *conſtanter* & *liberè*, loquetur & ſuadebit *apertè*, quid ſibi viſum fuerit ſalutare: *Juſtus* erit tùm erga Principem, tùm erga ſe, ſi fidus eſt & amicus, non admittet, ut Princeps de illo querelam aliquam habeat, quam vera amicitia excludit, *vid. Joh. Avenar. in Eth. diſp. 15. q.1.* Si juſtùs, *incorruptus* quoque erit, non munerum acceptor, &c.

23. Quapropter I. Conſiliarius Fidus ſit Principi & Domino ſuo, ſiquidem à Principe in illum finem eligitur, ut conſilia ſibi ſuggerat, non quæ ſuam, (niſi conſequenter,) ſed Reipublicæ ſalutem promoveant primariò & proximè: Non de privato, ſed Principis commodò, *inquit Furius*, proſpiciendum eſt; Ex quâ causâ apud Romanos olim, qui in Conſiliarios legebantur, juramento aſtringebantur, quod *Camerar, Cent. 1. Horar ſubciſ. c. 33.* recitat ſequentibus verbus: *Juro per Jovem Olympium & Conſiliarium, & per Veſtam Conſultricem, & per Jovem Maritalem & Junonem Maritalem, & Minervam Providam, & Victoriam, & Venerem, & A-* *Conſiliarius ſit Fidus.*

micitiam, & Concordiam, & Jus atq; Fas & Bonam Fortunam, aliosq; universos Deos & Deas, me ſententiam velle dicere ſecundùm leges & conſulta à civitate approbata, & ſecundùm decreta Romanorum & leges, quibus noſtra Reſpublica adminiſtratur, in reſpectu utilitatis patriæ pro viribus meis, non aliter, quàm is fecit, qui Senator fuit laudatiſſimus patriæ ſuæ vel Romanæ vel Græcæ civitatis, neq; gratiæ, neq; odio, neq; muneribus patiar ſervire judicium conſultúmve meum, neq; privato addicam ſententiam meam, neq; me ulli parti aut homini adjungam, ſed tantùm communi utilitati, aucturus pro viribus Rempub. ita ut Dii & boni viri volunt; Mihi quidem ſanctè jurato benè ſit, & Dii atq; Dæmones faveant: itemq; meis omnibus cùm amicis, tùm univerſo generi & familiæ, in perjurio ne deprehendar unquam. Simile quid obſervatum eſſe apud Athenienſes, allegat ex *Plutarcho Hippol. à Coll. in Conſil. pag.* 31. apud quos lege ſancitum erat, ut quoties, advocatâ concione, populus de Repub. conſultabat, præco maximâ voce diram cladem & exitium illi & poſteritati ejus imprecaretur, qui Reipub. inutile conſilium daret, ne ipſe incommodum aliquod ſubiret. Notabile eſt, quod *Ratisbonæ in Curiâ* aureis literis in tabulâ ignea legitur: *Quisquis Senator* (Conſiliarie) *Curiam officii causâ ingrederis, ante oſtium privatos affectus omnes abjicito;*

abjicito; iram, vim, odium amicitiā, adulatione: Reipublicæ perſonam & curam ſubjicito. Nam ut aliis æquus aut iniquius fueris, ita quoq; Dei judicium expectabis, & ſuſtinebis. Vide *Franciſc. Schvvertium in Deliciis Chriſtiani Orbis pag. mihi 561.* Nempe his omnibus non ignotum erat, Conſiliarium virum bonum eſſe debere, indeq; optimum quemq; fideliſſimum eſſe, ut loquitur *Tac. in Agricolâ c. 19. §. 1.*

24. Fidelitatem hanc jam indubitatò ſequitur Veracitas, quæ quidem virtus raro in Aulis Principum reperitur. Monſtrabo tibi, *inquit Seneca*, cujus rei inopiâ laborent magna faſtigia, quid omnia poſſidentibus deſit. Scilicet ille, qui verum dicat, & hominem inter mentientes ſtupentem, ipsâque conſuetudine pro rectis blanda audiendi, ad ignorantiam veri perductū vindicet à conſenſu conventuq; falſorum. Non vides, quemadmodum illos in præceps agat extincta libertas, & fides in obſequium ſervile ſubmiſſa, dum nemo ex animi ſui ſententiâ ſuadet, diſſuadetque, ſed adulandi certamen eſt, & unum amicorum omnium officium, una contentio, quis blandiſſimè fallat? *lib. 6. de Benefic. c. 30.* In horum choro meritò principes numerantur Conſiliarii Cambyſis apud *Herodot. l. 3.* qui interrogati à Rege, num quæ lex ſit, quæ ſinat volenti matrimo- *Verus.*

nium cum ſorore inire, reſponderunt: Nullam quidem ſe invenire legem, quæ ſinat fratri nubere ſororem: Quandam verò ſe reperire legem, licere Perſarum Regi quodlibet. Ex hoc furno prodiit quoq; Jonadab, qui Ammoni de incœſtu cum ſorore committendo non ſolùm aſſenſus eſt, ſed & conſilium commodius perpetrandi nefarii criminis ſuppeditavit, 2. *Sam. XIII*, 5. Item Achitophel, Abſoloni conſulens, ut pellices paternas pollueret, 2. *Sam. XVI*, 20. Valeant itaque iſtiusmodi Placentini & Laudenſes, quorum perpetua vox eſt, placebo Domino. Tu potius Veronam contende, nec cum fortunâ potius Principis loquere, quam pro ſalute ejus, *Tacit. Hiſtor.* 1. *c.* 15. *n.* 7. cogita, quàm miſerrima in hoc Principum conditio ſit, ut Regum ſtatum juſtè deploret *Martialis Britannicus Ovvenus l.* 2. *Epigramm.* 132.

Dum non vult alter, timet alter dicere verum
Regibus: ô miſerum Regis in orbe ſtatum!

Nihil tibi placeat, niſi quod juſtum ſit, & exemplo Baptiſtæ Herodi apertè malefactum, aut periculum & incommodum indica.

25. *Dicis*, I. Laborioſum eſſe Principi ſemper, quæ oportet, ſuadere: Nam, uti *Tacitus* habet 1. *Hiſtor. c.* 15. *n.* 7. ſuadere Principi, quod oporteat, multi laboris; Aſſenta-

tio erga Principem quemcunque ſine affe-ctu peragitur. II. Rem periculo non carere, juxta illud *Terentii in Andriâ Act.1.Sc.1.*

Obſequium amicos, Veritas odium parit.

At Principum odium quantum! Imò iterum *Tacitus* dicit: Aures Principum ita formatæ ſunt, ut aſpera, quæ utilia, nec quicquam niſi jucundum & læſurum accipiant. *3. Hiſtor. c. 56, n. 6.* Ideoque juxta *Perſium*, caveat

Auriculas teneras mordaci rodere vero.

Weiz. pag.23. III. Veritas dicenda ſemper non eſt: Quid abſurdi itaque, ſi aliquando tempori inſerviamus, & Principi morem geramus, & nobis placeat, quicquid Rex faciat, cum Anaxarcho Alexandri M. Conſiliario. Maximè cùm conſiliarium agere nihil ſit, niſi divinare, quid Princeps velit. ℞. ad I. verum eſt, non tantùm difficile, ſed & laborioſum eſſe, ſemper quæ oporteat ſuadere: Scio ego, *inquit Salluſt. in Orat. ad C. Cæſar. de Repub. Ordinand. in initio*, quàm difficile atque aſperum factu ſit, conſilium dare Regi, aut Imperatori, poſtremo cuiquam mortali, cujus opes in excelſo ſunt: Quippe cùm & illi conſultorum copiæ adſint, neq; de futuro ſatis callidus ſatisque prudens ſit. Quin etiam ſæpè prava magis, quàm bona conſilia proſperè eveniunt, quia pleraſque res fortuna ex libi-

dine ſuâ agitat. Verùm difficultas hæc & labor te à recto conſilio & veritate deterrere & retrahere non debet. Multi enim laboris eſt, ſemper conſulere quæ oportet, ſicut omne rectè factum. Cauſa eſt, quia recti una datur via, obliqui multiplex. Peccare, *inquit Ariſtot.* 2. *Eth. c.* 5. multis modis poſſumus, at rectè facere uno modo: Itaque etiam hoc difficile, illud facile: A ſcopo ſcilicet aberrare, facile eſt, ſcopum ferire, difficile. Item *c.* 2. *lib.* 2. *Ethic.* ut quidquam difficillimum eſt, in eo maximè artem & virtutem occupatam eſſe oportet. Perpende, quod *Heſiodus* habet *in ἔργοις verſ.* 287.

Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι, μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν,
Καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον· ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηται,
Ῥηϊδίη δ' ἤπειτα πέλει, χαλεπή περ ἐοῦσα.

h. e.

Ante virtutem verò ſudorem Dii *poſuerunt*
Immortales, longa verò atq; ardua via eſt ad ipſam,
Primumq; aſpera: Ubi verò *ad ſummũ ventum fuerit,*
Facilis deinceps eſt, quantũvis difficilis fuerit.
Vid. Cl. Virdung. in l. 1. *Hiſtor. Tacit. c.* 15.

26. Ad II. ℞. Terentium dicere, quid fieri ſoleat, non quid fieri debeat. Eſt ſenarius proverbialis, *inquit Eraſmus in Adagiis*, non admonens quid fieri oporteat, ſed oſtendens,

dens, quid vulgò fiat. Vulgaris enim Amicitia conſtat obſequiis: Nam invicem connivere ad familiarium vitia

Hæc res & jungit junctos, & ſervat amicos.

At inter veros Amicos nihil eſt veritate jucundius, modò abſit aſperitas agreſtis, & inconcinna, gravisque. Unde non eſt, quòd odium Magnatum metuas, nam licet aſſentatione ad tempus gratiam Principis asſequaris, non tamen conſervabis puram conſcientiam. Terreſtres Deos faventes habebis, cœleſtem verò iratum Tibi reddes: At

Iratum gravis eſt res habuiſſe Deum.

Non debes captare auram populi, niſi velis remotus eſſe ab omni virtute. Huic enim qui operam dant, fateor, *inquit Cicero in Orat. pro P. Sextio pag. mihi 680.* multos adverſarios, inimicos, invidos eſſe, multa proponi pericula, multas inferri injurias, magnos eſſe experiundos & ſubeundos labores. Sed mihi omnis oratio eſt cum virtute, non cum deſidiâ, cum dignitate, non cum voluptate, cum iis, qui ſe patriæ, qui ſuis civibus, qui laudi, qui gloriæ, non qui ſomno & convitiis, & delectationi natos eſſe arbitrantur. Nam ſi qui voluptatibus ducuntur, & ſe vitiorum illecebris & cupiditatum lenociniis dediderunt, *miſſos faciant honores, nec attingant Rempublicam, patiantur viros fortes labore, ſe otio ſuo perfrui!* Qui autem bonam

famam bonorum, quæ ſola verè gloria nominari poteſt, expetunt, aliis otium quærere debent & voluptates, non ſibi. Sudandum eſt his pro communibus commodis, adeundæ inimicitiæ, ſubeundæ ſæpe pro Repub. tempeſtates, cum multis audacibus, nonnunquam etiam *Potentibus* dimicandum. *Hæc Cicero.* Et *Virgilius* canit 4. *Æn. v.* 13.

Degeneres animos timor arguit.

Et *Seneca*: Odium qui nimium timet, regnare (aut regnum juvare conſiliis) neſcit.

An Veritas ſemper dicenda? 27. Veritatem III. ſemper dicendam non eſſe, concedo: interim tamen mendacium aut falſum committendum quoque non eſt, neq; etiam ſemper tacendum. Hoc ut intelligas, nota ex *Hieron. Prætorio in Philoſ. Pract. pag.* 118. I. Non omne verum dicendum eſſe, neque enim ab hoſtibus captum vera dicendo patriam prodere, aut Principum & Magnatum conſilia ſpargere convenit: Neque Conſiliarii erit, ſalvo juramento præſtito, quid decretum fuerit, manifeſtare. II. Neque ſemper & ubiq; verum dicendum. Ita vitia proximi in publico (niſi id officii flagitet ratio, obſervato tamen modo & ordine, quem luculenter expoſuit *Excell. Dn. D. König in Epiſtolâ ad Dn. Saubertum, quam legere eſt in præfat. laudati jam Dn. Sauberti* Zuchtbüchleins der Evangeliſchen Kirchen.) taxare non decet, quia

quia privatim potiùs admonendus erit. Ita intempeſtivum etiam fuerit, ebrio, & nec mentis, nec ſenſuum compoti de ſectandâ ſobrietate, & ebrietatis vitio fugiendo concionari. Sæpè tamen verum fateri & licet, & oportet, & 1. quidem, cùm ſalus & commodum proximi ac Reipubl. efflagitat, id quod occaſio ipſa docet 2. Cùm juſſa & imperia Magiſtratûs vera te profiteri volunt. 3. In rebus ad *Fidem per ſe* ſpectantibus. Compendio remita habe: Conſiliarius verum dicat, quando ad illud dicendam obligatur; & in eâ re, ad quam dicendum obligatur: item ad eos, quibus verum dicere obligatur. Unde jam facile intelliges, quid ſibi velit diſtinctio illa inter *verum ſcire ſibi, & verum ſcire alteri.* Nam hoc, nempe alteri ſcire, eſt ita ſcire, ut etiam illi tenear quæſitus illam ipſam veritatem dicere, hocque ex naturâ virtutis. Illud verò, non niſi cui ſpecialiter ad dicendum verum obligatus, uti res habet in Legatis, Senatoribus, aliisque: Illi quidem ſciunt, quid tractatum fuerit in conſeſſu publico; ex his tamen ſi quis quæreret inter privatos, cui non teneretur, aut obligatus eſſet propalare illud ipſum, ſi diceret, ſe ignorare aut neſcire, neque mendacium diceret, neque falſum. Sic illud Chriſti intelligendum puto, Nemo diem aut horam ſcit, niſi Pater.

Marc.

Marc. XIII, 32. quamvis *Grotius in Notis* aliter explicet.

28. Quòd ſi jam Conſiliarii fideles veritatē ita colunt, uti dictum, non poterunt non *apertè cum Principe agere*, & omnem *ſimulationem & diſſimulationem in ultimas terras relegare.* Veritas enim nihil magis veretur, quàm occultari. Bonus etiam Conſiliarius ſemper animo volvit illud *Ciceronis l. 1. offic.* quando inquit, *nullam peſtem majorem & capitaliorem generi humano & juſtitiæ eſſe, quàm eorum, qui, cùm maximè fallunt, id agunt, ut boni viri eſſe videantur.* Quomodo enim majus in regno cauſari poſſent periculum, quàm bonum ſimulando, & vel malo non reſiſtendo, vel ipſum promovendo? Hujusmodi enim ſimulatores tandem imperium ſuo Domino exuunt, & ruinæ tradunt; Sunt enim hi, qui blandis tantùm & byſſinis verbis Principis aures demulcent: ſimiles illis Medicis, qui ægroto Principi abblandiuntur, ipſique indulgent in propinandis gratioribus medicamentis, & ſic mortem potiùs, quàm vitam parant, uti rectè ait *Tholoſſanus l. 24. de Repub. c. 6.* Quod videtur deſumſiſſe ex *Cicerone, qui l. 3. in Verrem ait:* Nullæ ſunt occultiores inſidiæ, quàm quæ latent in *Simulatione officii*, aut in aliquo neceſſitudinis nomine. Nam eum, qui palàm eſt adverſarius, facilè ca-

Apertus, nihil ſimulet, nihil diſſimulet.

vendo

vendo vitare poſſis; hoc verò occultum, inteſtinum ac domeſticum malum non modò non exiſtit, verùm etiam opprimit, antequam perſpicere atque explorare potueris. Quid? quòd, qui *Paryſatis* præcepto *apud Plutarch. in apophthegm.* morem gerentes, non niſi ῥήμασι βυσσίνοις verbis molliculis, ad Principes utuntur, vel ſi maximè veri copiam facere videntur, cum *Narciſſo apud Tacit. XI. Annal. c.34. n.2.* ſuſpenſa, & quò ducantur, inclinatura reſpondent hi tales; dicente *Bernegg. quæſt. 213.* præcipuam ſui muneris partem omittant, quæ eſt, ut *Solon apud Laërtium in Zenone* monet, συμβουλεύειν μὴ τὰ ἥδιστα, ἀλλὰ τὰ κάλλιστα, conſulere non ſuaviſſima, ſed optima. Atque hanc ob cauſam *Fridericus III. Imperat.* poſteaquam Senatores omnes incuriam vocâſſet, optavit, ut, antequam ingrederentur, duas res deponerent, & tùm fieri, ut judicio neminem fallerent. Percontatus autem, quænam illa eſſent? reſpondit, Simulatio & Diſſimulatio. Nam nulla res eſt, quâ homines magis decipiuntur, quàm ſi aliud alii cogitent, aliud dicant. *Æneas Sylvius in dictis Friderici Imperat.*

29. *At dicis:* Cur hîc tantopere vituperatur ſimulatio? cùm tamen tot exempla legantur in Scripturis etiam approbata? v.g. Chriſtus ipſe ſimulavit ſe longiùs progreſſurum *An omnis ſimulatio ſit vitioſa?*

ſurum, *Luc.XIV,29.* David ſe ſtultum ſimulavit, *I. Reg.XXI,13.* Jacob *Gen. XXVII,* 18. Eliſæus *IV. Reg. VI,* 19. Jehu *IV. Reg, X,* 19. Judith, *c. X,* 13. *c. XI,* 14. Quid? quòd ipſi Imperatores requiſiverint talem ſimulationem, v. g. Sigiſmundus Imperator, *teſte Æneâ Sylvio l.1. comment. in res geſtas Alphonſi*, & Fridericus Ahenobarbus, quibus pro ſymbolo fuit: *Qui neſcit ſimulare, neſcit imperare.* Unde *Tiberius Cæſar* nullam, ut rebatur, ex virtutibus ſuis magis quàm diſſimulationem diligebat, referente *Tacito 4. Annal. c.71.n.3.* Quin imò ipſe *Ariſtoteles* de Magnanimo tanquam viro optimo dicit, quòd quamvis ſit ἀληθευτικὸς ϗ ἁπλοῦς, verax ac ſimplex, tamen apud multitudinem interdum per εἰρωνείαν diſſimulationem loquatur. Verùm ℞. Non dico, quod omnis ſimulatio & diſſimulatio ſit vitioſa, aut quòd nunquam, & nullo in loco ſimulare liceat. Siquidem Simulatio & Diſſimulatio duplex eſt: quædam eſt *Inhoneſta*, quæ intentionem habet malam, & fit animo decipiendi, ac fallendi: Quædam eſt *honeſta*, quæ intentionem habet bonam, ac fit joci honeſti, utilitatis proximi, & divinæ gloriæ amplificandæ gratiâ. Priorem nos in Conſiliario vituperamus ſemper, de poſteriori verò loquuntur loca allegata proxima, excepto Tiberii, de quo videatur *Oratio I. Henri-*

Simulatio eſt duplex.

Henrici Bœcleri de Princip. Tiberii. Hanc ipſi cum *Pindaro in Nemeωn E. p.* 102. laudamus.

Οὔ τοι ἅπασα κερδίων.
φαίνοισα πρόσωπον, ἀλάθει᾽ ἀτρεκής.
Καὶ τὸ σιγᾷν, πολλάκις ἐστὶ σοφώ-
τατον ἀνθρώπων νοῆσαι. *h. e.*

Non enim omnis utilis eſt, oſtendens rei apertam faciem Veritas exacta. Et tacere poſſe, ſæpè eſt ſapientiſſimum hominum ſcire. *Vid. Reuſner. in Symbol. claſſ. 3. p. 95.*

30. Hinc ſimulatione & diſſimulatione depoſitâ Conſiliarius *Liberè quoq; dicet, quid ſibi viſum fuerit.* Nam ſi vel nolit liberè ſuadere, & ſententiam ſuam dicere, vel non debeat, non dicat ſe Conſiliarium. *Vid. Illuſtr. Bœckleri Mecænas, pag. 36.* Laudabile eſt *Priſci Helvidii* factum, quod refert *Arrian. in Epictet. 1. lib. c. 2.* Ad hunc cùm Veſpaſianus miſiſſet, ne in ſenatum veniret: *Penes te, inquit, eſt, ne me Senatorem eſſe patiaris, quamdiu autem me loco non moves, eſt in curiam mihi veniendum. Agè, at ingreſſus taceto; inquit, ne me roga, & tacebo. At eſt mihi rogandum, & mihi dicendum, quod rectum putavero. Verum ſi dixeris, occidam te. Quando ego tibi dixi, me immortalem eſſe? Tu tuum facies, ego meum; tuum eſt occidere, meum, mori non trementem.* Ruinoſæ Reipublicæ indicium eſt, in quâ cum *Plinio in Paneg. c. 76. n. 3.* videmus curiam elinguem, in quâ *Conſiliarius Liberè ſuadeat.*

dicere

dicere quod velles, periculoſum, quod nolles, miſerum eſt. — Ubi nemo ante loqui, nemo hiſcere audet, præter miſeros illos, qui primi interrogantur: Cæteri verò defixi & attoniti ipſam illam mutam ac ſedentariam aſſentiendi neceſſitatem cum animi dolore perpeti coguntur, & quod unus ſolus cenſet, cæteri omnes ſequuntur, &c. quod hodie in multis, proh Deum! judiciis obtinet. Tum demum res recto ſtat talo, ſi, ut iterum *l. c. Plinius* graviter ait, *vincit ſententia non prima, ſed melior.* Ex quo capite hic idem *Plinius* optimum Imperatorem, Trajanum, plurimùm laudat, quando inquit: Interrogavit quisque, quod placuit; diſſentire, diſcedere & copiam judicii ſui Reipub. facere tutum fuit. Habeat itaque ſibi rem ſuam *Xerxes*, qui in conſultatione de ſuſcipiendo bello Græciæ inferendo convocavit quidem Aſiæ Principes, ſed tamen comparentes importunâ auctoritate increpavit, dicens; Ne viderer meo tantùm uſus eſſe conſilio, vos contraxi: *Cæterùm mementote, parendum magis vobis, quàm ſuadendum. Val. Maxim. l. 9. c. 5. Herodot. l. 7.* Ad Garamantas mittatur conſuetudo *Perſis* recepta, ut, ſiquis in conſiliis Regi quid obloqueretur, flagris cæderetur, *Ælian. 12. lib. variar.* Potiùs ſequatur Conſiliarius *Martium Cariolanum*, qui cùm de frumento ex

Sici-

Sicilia Romam advecto, in Senatu ageretur, an gratis, vili, aut magno pretio plebi divenderetur, inter alios extitit: & adverſus plebem gravem ſententiam dixit: Nihil per largitionem populo tribuendum: his artibus petulantiorem ac laſciviorem effici: Satius eſſe hunc vel cariore annonâ domari ac reprimi, quò fieret modeſtior ex neceſſitate, & ad civilia munera obeunda paratior: agros hâc injuriâ, non ſeditiones colat; deſidiâ, otio, ac luxuriâ maximè, quæ ex copiâ & inerti abundantiâ naſcitur, jura, leges, inſtituta negligi: *Liv. lib. 2. c. 34.* Huic licèt ob duriorem & liberaliorem ſententiam à Tribuno plebis dies diceretur, tamen plebs agnovit, in hoc Cariolanum præter officium nihil feciſſe, licèt contra plebem ſententiam dixiſſet, atque quoad hanc accuſationem abſolutus fuit, quoniam *poſt ſenatum nemo conſilii ſui rationem reddere cogi debet*, *Hippol. à Coll. in tr. Conſil. p. 39.*

31. Nec eſt, quòd metuas aliorum, eâ *παῤῥησίᾳ* utentium, ſiniſtram fortunam, quorum magnum catalogum recenſet *Camerar. Cent. 1. horar. ſubcis. c. 90. Schönborn. l. 3. Polit. cap. 24.* Etenim ℞. Libertatem hanc comitari debet *Modeſtia*, loquatur *cum Rege* liberè, ſed *non de Rege*: Obſervet commodum tempus, & intempeſtivis abſtineat verbis. *Admonendus eſt* Princeps, *non objurgandus*;

Conſiliarius ſit Modeſtus.

 gandus;

gandus; admonendus *privatim, non publicè*, aut coram multis, ſi peccaverit Princeps, aut quædam contra Rempub. admiſerit. Si non Amici, ſed rabulæ eſt, in alienis peccatis gloriam quærere, nec Conſiliarii erit, famam quærere, Principem publicè corrigendo, cùm debeat hoc prudentiſſimè fieri, & ceu morbus turpis tegi, & clam ſanari. Quod ſi obſervâſſet *Clitus*, & Alexandrum Magnum inter pocula, præſentibus multis aliis, non ita imprudenter admonuiſſet & carpſiſſet, ſpiculô non trajectus fuiſſet, *Plutarch. in Vit. Alexand.* Ex quâ ipſâ cauſâ eidem Alexandro meritò exoſus fuit *Calliſthenes*, quòd ita abruptè, præfractè, intempeſtivè libertatem dicendi, quã debebat quidem, ſed non *quomodo* debebat, exerceret, referente *Arriano de reb. Alex. l.* 4. Meliùs admonuerunt *Hephæſtio apud Curtium lib.* 2. *c.* 12. *n.* 16. & *Annius Baſſus*, de quo *Tacitus* 3. *Hiſtor.* 50. *n.* 5. dicit, quòd, Silvanum Conſularem *ſpecie obſequii* rexerit ad omnia, quæ agenda forent. Et hoc eſt, quod *Horatius* vocat, obſequio graſſari, *Sermon.* 2. 5. 93. Item obliquâ viâ ire, quò non licet rectâ. Quapropter omne, quod ex benè monendi conſulendique libertate periculi naſci poteſt, à prudenti Conſiliario declinari poterit, ſi l. contumacia abſit, adſit modeſtia cùm induſtriâ atque vigore juncta;
nam

nam contumacia non facit ad aulam, *Seneca de Tranquill. l. 4.* II. Si liberè moneat, ita tamen, ut in nullum rei poſt uſum, exemplo *Agricolæ apud Tacit. c. 42. n. 6. & 7.*

32. Non poſſum hîc non ſubjicere Orationem Muſtaffi, quam habuit ad Mahometem, Irenem è Chriſtianis captivam extremè deperientem, à quo inſano, uti vocat, amore dictâ oratione, volebat dehortari; cum in illa oratione, uti concepta eſt à *Johanne Biſſelio in Icariâ pag. mihi* 203. & *ſeqq.* elegans contineatur exemplum & formula monendi, & cum Principibus modeſtè agendi: *Poſteaquam pro familiaritate intimâ confidendi poteſtas Purpurato facta eſt, emotis arbitris aliis, Muſtaffus præfatus, magna à ſe, magnoq; Imperio neceſſaria afferri, fari incipit; Sæpiùs jam conceptum alloquii impetum, & ſalutaris conſilii confidentiam; Imperatoriâ præpeditam fuiſſe ſive latebrâ, ſive ſolitudine. Sed illius quidem receſſus aut ſecreti, cujuscunq; tandem, noluiſſe ſe cauſas, ſed nec debuiſſe, inveſtigare. Satis rectum ſibi ſemper eſſe viſum, quicquid Capiti inter Orientalia altiſſimo placitum fuiſſet, ſanctumq; id omne habuiſſe, ſi quid Victori in terris feliciſſimo, vel Cœlum, vel homines ad votum indulſiſſent. Noluiſſe etiam ne ſuſpicari quidem, aut omninò cogitare, quid eſſet, quóve Monarches ſuus in otio occuparetur. Famam primam ac priorem (ut in aliis omnibus,) loqui cæpiſſe, deinde*

converſo in deterius habitu, mutatam, infami raucoq; probro tota Byzantinorum caſtra impleſſe. Nec ſe diſputare, quàm jure, quàmq; injuriâ. Scire ſe, Imperatori unico non præſcribi, ſed pareri ſolere. Fateri etiam, omni Solio, & Ottomanico præ cæteris, æquali lege jureq; ſtatim à cunabulis adnaſci Licitum & Libitum. Id nunc unicum ſe, pro innatâ fide, ſuggerere; Non eſſe nunc tempus, aut, ſi vel maximè Regius affectus eò vergeret, tamen gaudio modum poſſe, temperamentumq; conſtitui: Jucundiora eſſe voluptatum ſtudia, ſeriis interpolata; nec ſolidam eſſe poſſe, longámve lætitiam, quæ ſe fructu nunquam interrupto ſatiaret. Suavius ad intermiſſa otia rediri, quàm faſtiditâ ſaturitate tandem in ſolidum proſcribi atq; extrudi. Tametſi quid tam ſevero (inquit) opus conſilio? Nolo nec intermitti quidem oblectamenta; variari tamen, auctor eſſem. Verior eſt, quæ per plures currit flores, oculorum amœnitas, quàm quæ in roſâ unicâ defigitur. Volo dicere: Non tanti Tibi videri virginis unius ſpeciem debere, in tantâ, præſertim Regiarum uxorum turbâ, Prophetæ noſtri legibus Tibi conceſſâ. Neſcio, annon cæcitas ſit (Imperator & Domine) unam ſolam, Græcanicæ nativitatis puellam, videre atq; credere formoſam; cæterarum & quidem Tuarum, tanquam in caligine, vultum præterire. Quaſi verò ad exactiorem corporis bonitatem perducat Chriſtiani fœditas

bapti-

baptiſmi, quàm Aſiaticus creet aër? aut Aſſyria perficiat educatio? Quòd Græcam quis albedinem diligit, errat; & vitium amat, pallidamq; ſanguinis inopiam. Quare ſi (ut plerumq;) candore caret Orientalium purpura formarum, non illa pulchritudine deſtituitur, ſed emendatiore ſanguine floreſcit. Amore ita pro modeſtiâ Turcicâ expugnato; quid fieri debeat, rationibus ponderoſioribus Mahometi perſuadet, proponendo ea omnia, quæ vel neceſſitas temporum, vel murmura rebellium loquerentur. *Citius imperia ampla comparari, quàm ſemel imminuta amiſſáve reſtitui. Exiguis ſæpè radicibus detrimentorum ſylvas pullulâſſe, nullis falcibus amputandas. Longè potentiorem eſſe rebellium concordiam ad Regum ruinam, quàm Monarcharum ſecures in ſupplicia. Nec eſſe negligenda tot capita, quia ſervilia. Nam multitudinem illis in irâ fieri pro libertate: & longè periculoſiùs furorem excitari ſordidorum crabronum, quàm ingenuam apicularum bilem. Servorum copiam, ſi pareat, tutelam eſſe Domini; Si jugum frangat, excidium. Recordaretur etiam veteris gloriæ, & præter hanc recentis in maximo debellando imperio decoris. Retractaret ſpiritûs illos ſuos, & æquales Cœlo animos, quibus generoſo anhelitu, egreſſus Oriente, Pontum primò, Bithyniamq;, tùm Smyrnam, Joniamq; & Ægæas Inſulas afflâſſet; tantum*

regionum victoriis, quantum deſideriis complexus. Uno veteris alacritatis impetu non hoſtes tantùm, ſed etiam, ſi qua nondum adita ſubacta q; eſſent, ſub vota redigi poſſe. Ad extremum Muſtaffus genibus advolutus & plantas amplexus obſecrabat, ut non tàm libertati ſermonis, quàm amori (qui ſæpè reverentiam oblivisceretur) veniam daret. Communi poſtulato ſe legatum, ſi quid protuliſſet confidentiùs, id ſe de ſuo; ſi quid prolixiùs, illud de omnium ore locutum eſſe.

33. Ex his ſufficienter conſtat, Conſiliarium in Conſiliis adhibendis eſſe modeſtum & placidum, tùm erga Principem, tùm erga collegas; item ſententiam ſuam non obtrudere, ſed proponere & ſuadere debere: Secus enim ſi fecerit, neque ſibi ſapiet, neque à periculis tutus erit. Ex quo capite Alexander de Calliſthene rectè dixit: Odi Sophiſtam, qui ſibi ipſi non ſapit. Item, juſtè odio eum proſequuntur, qui omnes ſolùm ex ore ſuo ſapere vult, quo hominum genere injuſtius nihil eſſe *Terentius* benè dixit *in Adelphis Act. 1. Scen. 2.*

Notent hoc multi scioli.

Homine nihil quicquam eſt injuſtius,
Qui niſi id, quod ipſe facit, nihil rectum putat.

Aut, uti *Alciatus* inquit *Emblem. 69.*

Qui veterum abjectâ methodo, nova dogmata quærunt,

Nilq;

Nilq; ſuas præter tradere phantaſias.

Placide itaque aliorum ſententias ferat, & ſuam modeſtè proponat, nec obſtinatè pugnet, nec ſit inimicus iſti conſilio, cujus ipſe Autor non eſt. Modeſtum ſe exhibeat in refellendis aliorum ſententiis, ſiquidem, hoc niſi parcè & verborum compendio fiat, paucos, qui moderatè ferent, reperiet. Nemo enim facilè ſua improbari patitur; adeóque omni verborum honore & mitiſſimo dicendi genere utendum, & contentioſæ voces in omni conſilio fugiendæ, iidemque modi loquendi, quibus ſe plus cæteris vidiſſe ſignificari poſſet. *Vid. Hippolyt. à Coll. de Conſil. pag.* 26. 27.

Conſiliarius ſit placidus & aliorũ vota, non ſecus, ac ſuũ habeat, niſi ratio obſtet grandis.

34. Talem verò Modeſtiam eò meliùs exhibere poterit, ſi Conſiliarius *Sobrietati* ſtuduerit, & *Temperantiæ*; ſiquidem Conſilium non habitat in udo, neq; poteſt, cùm conſilium virtutis indicina eſſe debeat: illa verò ebrietas detegat, non virtutem, ſed vitium. Unde *Seneca* inquit *Epiſt.* 83. Ubi poſſedit animum nimia vis vini, quicquid malè latebat, detegit vel emergit: non *facit* ebrietas vitia, ſed *protrahit*: tunc impudicus morbum profitetur ac publicat: tunc petulans non linguam, non manum continet: creſcit inſolenti ſuperbia; crudelitas ſævo; malignitas livido, omne vitium graſſatur & prodit. *Et paulo antè*: Dic, quàm

Conſiliarius ſit Sobrius.

quàm turpe ſit, plus ſibi ingerere, quàm capiat, & ſtomachi ſui non noſſe menſuram: Quâm multa ebrii faciant, quibus ſobrii erubeſcant: nihil aliud eſſe ebrietatem, quàm voluntariam inſaniam. Extende in plures dies illum ebrii habitum, numquid de furore dubitabis? Nunc quoque non eſt minor, ſed brevior. Hinc benè Poëta monet:

Nec Veneris, nec tu Vini capiaris amore:
Uno namq; modo Vina Venusq; nocent.

Et *Cic.* 4. *Tuſc.* inquit: Omnium perturbationum fons eſt intemperantia, quæ eſt à tota mente, etiam à rectâ ratione defectio, ſic averſa à præſcriptione rationis, ut nullo modo appetitiones animi vel regi, vel contineri queant. Contrà verò

Quæ virtus, & quanta boni ſit, vivere parvo?

benè exponit *Auguſtinus*: Sobrietas eſt mentis, & ſenſus, membrorum omnium, corporisque tutela, caſtitatis pudicitiæq; munimentum, pudori proxima, amicitiæque pacisque ſerva, honeſtati ſemper conjuncta criminumque & vitiorum omnium profuga. Sobrietas eſt recti judicii (conſilii) tenax, memoriæ recordationisque inſeparabilis Sapientia, ſecretorum cuſtos, arcani velamen: —— Magiſtra ingeniorum, & capiendorum pediſſequa, bonæ famæ ſemper avida, ſalubria atque utilia creans, virtutis ſingulare auxilium, cuncta cum ratione diſponens, &c.

35. Ita Sobrius Conſiliarius ſemper juramenti ſui memor erit, & Harpocrati indeſinenter litabit, h. e. *Secretus* erit, & *Taciturnus*. Taciturnitas enim rerum adminiſtrandarum optimum ac tutiſſimum vinculum eſt, teſte *Val. Max. l.* 2. *c.* 12. Unde rectiſſimè *Curtius l.* 4. *c.* 6. *n.* 6. Perſæ rem magnam ſuſtineri non poſſe credunt ab eo, cui tacere grave ſit, quod homini facillimum voluerit eſſe natura; quaque ex causâ linguam gravius caſtigabant, quàm aliud probrum. Qualem hominem ſuo merito nigrũ vocavit *Poëta Venuſinus l.*1. *Ep.* 18. dum canit: *Conſiliarius ſit Taciturnus.*

——— Commiſſa tacere
Qui nequit, hic niger eſt.

Opera quidem Dei revelare honorificum eſt, ſecretum verò Regis abſcondere, bonum, *Tob. XII,* 7. Itaque *Amorum Architectus l.*2. *de Arte Amandi* non ſine causâ utrumque tùm tacere, tùm propalare debito ſuo encomio proſequitur:

Eximia eſt virtus, præſtare ſilentia rebus:
At contra gravis eſt culpa, tacenda loqui.

Quapropter

Arcanum neq; tu ſcrutaberis ullius unquam:
Commiſſumq; teges & vino tortus *& irâ.*

Non abs re itaque abominandi loquaculi illi, qui pleni rimarum hâc atque illac perfluunt, ſimiles lacui Aſphaltitæ in Judæâ, in quo nihil mergitur, ſed ſupernatãt omnia

injecta: Nam in horum pectore nihil conditur, ſuperfluunt, imò effluunt omnia. Citiùs enim & faciliùs multò flammas ore tenebunt, quàm ſecreta tegent. Etenim obviis quibusque tum præcipuè *uxoribus*, deliberationes publicè habitas communicant, quorum hominum conſuetudinis admodũ gnarus Auguſtus, ut eò melius conſilia adverſariorum expiſcaretur, cum eorum uxoribus adulteria exercuit, referente *Sueton. in vitâ Auguſti c. 69.* Hujusmodi *rimoſi*, ſive vaſa futilia, uti vocat *Scaliger Caſtigat. ad Feſtum*, juſtè odio habentut, etiam ipſis Sacris Paginis atteſtantibus. Non eſt recordatio in myſterii revelatione, *Syrac. XXII, 27.* Qui denudat arcana amici, fidem perdit, & non inveniet amicum ad animum ſuum.——Quòd ſi denudaveris abſconſa illius, non perſequeris poſt eum *cap. XXVII, 17. 19.* Si itaq; amici conſilium de privatâ re aperiens omnium odio meritò dignus habetur, quo odio ille dignus erit, qui Principis ſui conſilium de Reip. ſalute, de propriâ dignitate, de publico officio, contra tàm ſanctè datam fidem magno magiſtratuum contemptu & damno evulgat? *Vid. Hippol. à Coll. de Conſiliar. p. 50.* His, qui Arcana Reipub. quę tecta eſſe debebant, detexiſſent, *Lex Ægyptiorum* linguam abſcindi jubebat, quæ pœna erat debita, referente *Diodor. Siculo.*

culo l. 1. Rer. Antiq. c. 3. part. 2. pag. mihi 36. Cui legi etiam Civiles hodie non contradicunt, utpote quæ conſiliorum publicorum renunciatores Regum & Principum proditoribus, uti etiam revera nihil aliud ſunt, æquiparant eosque capite plecti volunt, *l. 6. §. 4. ff. de re militari:* Aut ut transfugas vivos exuri, aut furcis ſuſpendi. *l. 38. §. 1. ff. de Pœnis.* Nota tamen, multa in aliquo publico conſeſſu tractari, quæ tamen ſtatim arcana non ſunt, proindeque à conſiliario ſalva ſuâ integtitate propalari poſſunt, ſcil. quæ reſpiciunt morum reformationem, religionis ſtudium & ampliationem, Scholarum animadverſionem & correctionē ſive reſtaurationem, &c. horum enim negotiorum propalatione, neque Principis dignitati, aut Magiſtratus vigilantiæ ac curę damnum aliquod infertur, neque ulli ſcandalum præbetur, aut ulla inde læſio metuenda eſt.

36. Hanc porrò Taciturnitatem probus Conſiliarius nullis muneribus expugnari patietur, ſed *Incorruptus* erit, non δωροφάγος: Si quidem auri precium quantum creſcit, tantum diminuitur æſtimatio virtutis. Hoc avaritiæ vitio nullum eſt tetrius, maximè in Principibus & Rerumpub. Gubernatoribus; eſt enim omnium malorum fons & radix. *1. Timoth. VI, 10.* Siquidem Unctio hæc ipſos omnia docet, (uti accipiunt illud

Conſiliarius non ſit captator munerum.

illud 1. *Joh.* 2, 27. Sed malè) Dann wer wohl ſchmieret / der fähret. *Vid.* Winther *de Aſſeſſoribus part.* 1. *c.* 9. *num.* XI. *pag. mihi* 221. Et Pecuniæ omnia obediunt. Inde *Ariſtophanes in Pluto*;

Proh! ut nihil ſanum reperias uſpiam,
Sed pariter omnes ſerviunt victi lucro!

Munera faciunt nolentem velle, latenti energiâ etiam invitos trahunt & neſcientes, mentemque à rectâ viâ diſcedere cogunt, oculos excœcant ſapientum, verba pervertunt juſtorum, & velut paſtomis ori indita avertunt reprehenſiones. *Exod.* XXIII, 8. *Deuter.* XVI, 19. *Syrac.* XX, 30. Hinc *Can.* 66. *cauſ.* XI, *q.* 3. acceptio nummorum prævaricatio nummorum vocatur.

—— *Malè verum examinat omnis*
Corruptus judex, ———

inquit *Horat. l.* 2. *Satyr.* 2. *v.* 8. A quo enim quis pecuniam recipit, ſui ipſius dominum illum conſtituit, uti rectè *ait Iſocrat.* Et *Tacitus* inquit *l.* 1. *Annal. c.* 2. *n.* 4. Invalidum auxilium eſt legum, quæ vi, ambitu, poſtremò pecuniâ turbantur. Etenim

Auri dira fames & non expleta libido
Ferali precio vendat ut omne nefas.
O quàm mendosè votũ inſaturabile habendi
Imbuit infami pectora noſtra malo!
Quis metus hic legum, quæve eſt reverentia
veri;

Cre-

Creſcenti nummo ſi magè cura ſubeſt!
Quapropter laudabile eſt, quod *Juſtinian. Nov.* 17. *c.* 1. conſtituit, oportere ſcilicet & Deo, & Principi, & legi puras manus in adminiſtratione munerum civilium ſervare. Juſtoq; encomio celebratur *Baſilius Imperator*, quod principio ſui imperii judices eos conſtituerit, qui à capiendis muneribus quàm maximè alieni perhiberentur, & quos teſtatum eſſet habere manus omnis capturæ puras, *Zonar. in ejus vitâ*; hujusmodi judices & Conſiliarii Deo placent, qualesq; promittit Civitati pietatem & verum ſui cultum ſequenti apud *Eſaiam c.* I.26. Reſtituam judices tuos, ut fuerunt prius, & Conſiliarios tuos, ſicut erant antiquitùs. Nam hoc tempore Principes tui infideles, & ſocii furum, omnes diligunt munera. Quæ profectò nunquam accipiet Conſiliarius, iisdemque corrumpetur, ſi juramentum ſuum conſideraverit, eamque clauſulam (quæ juramento Conſiliariorum ſemper adiici deberet) quam §. 25. in fine allati juramenti adduximus, ſcilicet *Se neq; gratia neq; odio, neq; muneribus quicquam daturum*. Ita enim demum fidelis Conſiliarius erit, quia, ut *Cardinalis Aldobrandinus* reſpondit, aurum contemnentis fidele conſilium eſt; in iis verò fluxa & dubia fides, qui illud anhelant; qui rectè exemplo *Julii Cæſaris* loco ſuo moventur.

tur. Julius enim Cæſar δωροφάγυς judices ordine removit, & dignitate ſuâ ſpoliavit, teſte *Sueton. in ejus Vita.* Item in hujusmodi δωροφάγυς leges Civiles quoque animadvertunt, uti conſtat ex *toto tit. ff. de Lege Juliâ Repetundar.* Cambyses Rex Perſarum Siſamnem iniquam ſententiam ob acceptum munus proferentem excoriavit, & cutem tribunali inſtravit, & filium *Otanem* ſuffecit, addito præcepto, ut exuvias Patris intuens juſtè judicaret, niſi ſimili morte perire vellet. *Herodot. l. 5. p. mihi* 343. Imitatus eſt hunc Regem ſingulari exemplo Archiepiſcopus Colonienſis Anno 1055. Hic enim cum comperiſſet, judices falſam ſententiam in causâ fæminæ pauperis tuliſſe, omnibus oculos erui juſſit, uno excepto, videlicet compatre ſuo, quem altero tantùm oculo privavit, ut altero adjutus domum deducere excæcatos poſſet. Utque hujus rei memoria diuturnior eſſet, ſupra domos excœcatorum capita figulina cum effoſſis oculis collocanda curavit, ut terrori eſſent prætereuntibus, uti hoc narrat *Dreſſerus in Millenarius parte 1. pag.* 74. 75. Exempla hæc ſanè omni laude proſequenda ſunt, nec quicquã moranda *lex 6. §. 3. in fin. ff. de offic. Proconſul.* Exempla hæc ſi adhuc hodiè obſervarentur, profectò multi forent cœci, aut ſaltem monoculi.

37. Re-

37. Remotis ita & gratiæ & odii repagulis, Muneribus ſcilicet, & corruptionis incitamentis, Conſiliarius non poterit non *Juſtus* eſſe & Juſtè agere. Sic enim cuique ſuum reddet, & malis pœnas irrogabit, bonos verò præmiis proſequetur & beneficiis: Si enim hoc modo ab affectibus liber eſt, uti omnes, qui de rebus dubiis conſultant, eſſe decet, volente ſic *Salluſtio*, nulli in gratiam quid dicet, nemini in odium quid proferet, caſus pro Amico non obſervabit ſed verum enunciabit, quod aliàs haud facilè pervidetur, ubi affectus officiunt, iterum docente *Salluſtio. Adde* §. 23. *ſupra.* Sicut enim amantes de formâ judicare non poſſunt, quia ſenſum oculorum premit amor, ita omnem inquirendæ veritatis rationem judex (conſiliarius) amittit occupatus affectibus: æſtu fertur, & veluti rapido flumini obſequitur, inquit *Quintilianus l. 6. Inſtit. c. 2. pag. mihi* 40. Adde *Gruter. in Liv. l. 9. c. 3.* Non tamen volumus Conſiliarium noſtrum Stoicum eſſe, & penitus nullum ſentire affectū, cùm Conſiliarius ex miſericordiâ ſæpè poſſit, ſalvâ conſcientiâ, rigori juſtitiæ intercedere: Non enim universè verum eſt, Conſiliariorum ſententias videri corruptas, ſi legibus ſint mitiores: Non quidem ſibi ſumat auctoritatem, juſtitiæ curſum à Principe inſtitutum intervertere, ne lædat majeſtatem; *Conſiliarius ſit Juſtus.*

ſtatem; poteſt tamen interceſſione ſuâ prudenter inſtitutâ, mitigare judicium Principis, ſi abſit largitionum ſuſpicio: Meliùs enim eſt cum *Abbate Cluniacenſi* culpari propter clementiam, quam propter crudelitatem. Nam melius eſt Deo miſericordiæ, quàm inclementiæ reddere rationem, *inquit Cognol. ad l. ſemp. 56. n. 1. & 2. de Reg. Jur.*

Conſiliarius ſit Fortis & Conſtans.

38. Tandem Conſiliarius noſter *Fortis* quoq; ſit & *Conſtans*, non laborum, aut onerum ſibi impoſitorum impatiens, ſed animo præſenti, & Reipub. causâ, quæ utilitas honeſta eſt, ſuſcipiat & perferat: Et ſi ſemel quid pro Principis & Reipub. ſalute protulerit, ceu unicam prolem amet nec permutet ſententiam. *Vid. Bodin. l. 3. de Republ. pag. mihi 375. 356.* Nam illaudati, *inquit Lipſ. l. 3. Pol. c. 5. §. 8. ex Salluſt. ad Cæſar. Orat. 2.* qui ex aliena libidine huc illuc fluctuantes agitantur; interdum alia, deinde alia decernunt. Turpis enim & fœda illa vacillatio ſententiam mutantium, & certum ſignum non certæ mentis, Nota tamen, Conſtantiam hanc non evertere circumſtantiarum mutationem. Siquidem Conſtantia hæc finem reſpicit, non media: Unde dixi, ſi ſemel quid pro ſalute Principis protulerit, conſilium ſuum mutare non debere, puta, exiſtentibus iisdem circumſtantiis: Hæc enim ſi immutatæ, non eâdem vià,

ad

d eundem tamen ſcopum perveniendum ſt, diverſâ licet ratione & modo. Siqui- lem vir Prudens non ſemper it uno gradu, ed unâ viâ, *inquit Seneca Epiſt. 20.* Nec ſe n aliquibus mutat, ſed potiùs aptat. *Idem* Non curſum eundem tenet, ſed portum. ſit modò unus terminus, etſi non una via. Nec inconſtantis, *inquit Cicero in Orat. pro albo*, putem ſententiam tanquam aliquod avigium è Reipub. tempeſtate moderari. *dem lib.* 1. *Epiſt. Famil.* 9. Neque perma- endum in unâ ſententiâ converſis rebus, ac onorum voluntatibus immutatis, ſeu tem- oribus aſſentiendum. Nunquam enim ræſtantibus in Repub. gubernandâ viris audata eſt in unâ ſententia perpetua per- nanſio: Sed ut in navigando tempeſtati bſequi, artis eſt, etiamſi portum tenere ne- queas: cùm verò id poſſis, mutatâ velifi- atione aſſequi, ſtultum eſt, eum tenere um periculo curſum, quem ceperis, po- iùs, quàm, eo commutato, quo velis, tan- lem pervenire: Sic cùm omnibus nobis in Repub. adminiſtrandâ propoſitum eſſe de- eat id, quod à me ſæpiſſimè dictum eſt: *um dignitate otium*, non idem ſemper di- ere, ſed idem ſemper ſpectare debemus.

39. Quis itaque jam negabit, Conſi- iarium Virum *Prudentem* eſſe debere? Hæc nim omnia quomodo obſervabit, niſi Pru- *Conſiliarius eſt Vir Prudens.*

E dentiâ

ſtatem; poteſt tamen interceſſione ſuâ prudenter inſtitutâ, mitigare judicium Principis, ſi abſit largitionum ſuſpicio: Melius enim eſt cum *Abbate Cluniacenſi* culpari propter clementiam, quam propter crudelitatem. Nam melius eſt Deo miſericordiæ, quàm inclementiæ reddere rationem, *inquit Cognol. ad l. ſemp. 56. n. 1. & 2. de Reg. Jur.*

Conſiliarius ſit Fortis & Conſtans.

38. Tandem Conſiliarius noſter *Fortis* quoq; ſit & *Conſtans*, non laborum, aut onerum ſibi impoſitorum impatiens, ſed animo præſenti, & Reipub. causâ, quæ utilitas honeſta eſt, ſuſcipiat & perferat: Et ſi ſemel quid pro Principis & Reipub. ſalute protulerit, ceu unicam prolem amet nec permutet ſententiam. *Vid. Bodin. l. 3. de Republ. pag. mihi 375. 356.* Nam illaudati, *inquit Lipſ. l. 3. Pol. c. 5. §. 8. ex Salluſt. ad Cæſar. Orat. 2.* qui ex aliena libidine huc illuc fluctuantes agitantur; interdum alia, deinde alia decernunt. Turpis enim & fœda illa vacillatio ſententiam mutantium, & certum ſignum non certæ mentis, Nota tamen, Conſtantiam hanc non evertere circumſtantiarum mutationem. Siquidem Conſtantia hæc finem reſpicit, non media: Unde dixi, ſi ſemel quid pro ſalute Principis protulerit, conſilium ſuum mutare non debere, puta, exiſtentibus iisdem circumſtantiis: Hæ enim ſi immutatæ, non eâdem via,

ad

ad eundem tamen ſcopum perveniendum eſt, diverſâ licet ratione & modo. Siquidem vir Prudens non ſemper it uno gradu, ſed unâ viâ, *inquit Seneca Epiſt.* 20. Nec ſe in aliquibus mutat, ſed potiùs aptat. *Idem* Non curſum eundem tenet, ſed portum. Sit modò unus terminus, etſi non una via. Nec inconſtantis, *inquit Cicero in Orat. pro Balbo*, putem ſententiam tanquam aliquod navigium è Reipub. tempeſtate moderari. *Idem lib.* 1. *Epiſt. Famil.* 9. Neque permanendum in unâ ſententiâ converſis rebus, ac bonorum voluntatibus immutatis, ſeu temporibus aſſentiendum. Nunquam enim præſtantibus in Repub. gubernandâ viris laudata eſt in unâ ſententia perpetua permanſio: Sed ut in navigando tempeſtati obſequi, artis eſt, etiamſi portum tenere nequeas: cùm verò id poſſis, mutatâ velificatione aſſequi, ſtultum eſt, eum tenere cum periculo curſum, quem ceperis, potiùs, quàm, eo commutato, quo velis, tandem pervenire: Sic cùm omnibus nobis in Repub. adminiſtrandâ propoſitum eſſe debeat id, quod à me ſæpiſſimè dictum eſt: *cum dignitate otium*, non idem ſemper dicere, ſed idem ſemper ſpectare debemus.

39. Quis itaque jam negabit, Conſiliarium Virum *Prudentem* eſſe debere? Hæc enim omnia quomodo obſervabit, niſi Pru- *Conſiliarius eſt Vir Prudens.*

 dentiâ

dentiâ ſtipatus, tanquam omnium virtutum Complemento & Perfectione? Cùm hæc omnia, quæ ex Prudentiâ pendeant & proficiſcantur: Ita namque definit Prudentiam non malè *Lipſ. l.* 1. *Polit. c.* 7. Intellectum & Dilectum rerum, quæ publicè privatimque fugiendæ aut appetendæ. Unde *Ariſtot.* 6. *Eth. c.* 5. Prudentes cenſemus, qui ea, quæ ſibi, quæq; hominibus conducunt, poſſunt diſpicere. Et *Plato Alcib.* 2. *in med.* Prudentem dicemus ſibi & Reipub. (eſt enim prudentia duplex, *Domeſtica & Civilis*) conſulere potentem ac validum. Et hæc prudentia non niſi in ſene, ſive juſtâ ætate locum habet, de quâ, uti & de requiſitis Fortunæ aliis, ſtatim acturi ſumus.

40. Quoniam autem Conſiliarius noſter prudens & fidus, ut oſtendimus, eſſe debet, ſtatim pateſcit, illum non juvenem, ſed ſenem oportere eſſe; hocque primum ſit inter dona & bona Fortunæ: licet in hoc *Keckermanno* nolim movere litem, referenti *l.* 1. *Syſtem. Pol. pag.* 160. Ætatem inter dona Naturæ: non enim puto abſonum eſſe pro diverſo reſpectu aliqua dici poſſe tum naturæ bona, tum fortunæ, uti ſunt pulchritudo, juſta ſtatura, &c. De eo verò major controverſia eſt, an non juvenis quoque in conſiliarium legi poſſit, aut debeat? Hîc ſi *Ariſtotelem* audiamus, negabit,

An Iuvenis debeat eſſe Conſiliarius, an Senex? Rationes contra Iuvenes.

bit, quia in juvenes prudentia, quæ tamen maximè in Conſiliario requiritur, non cadit *l. 6. Ethic. cap. 9. Juvenes licet Geometrici & Mathematici, atq; ejuſmodi rebus ſapientes evadunt prudentes tamen evadere non videntur. Cauſa autem ea eſt, quòd particularium eſt prudentia, quæ experientiâ nobis innoteſcunt, juvenis autem expertus non eſt: experientiam enim temporis affert longitudo.* Hæc Philoſophus. Adde eundem 7. *Polit. c. 9.* Unde rectè *Ovidius* canit *l. 6. Metamorph.* *pag. 546. lit. D.*

——— *Seris venit uſus ab annis.*

41. Accedit, quòd juvenes ſint ambitioſi & contentioſi: Propter ſtudium enim honoris nō patiūntur ſe parvi fieri, magis enim famâ, quam fame commoventur, quia nondum indigentiam experti ſunt. 2. *Rhetor. c.* 12. Sunt iracundi, nimium commiſeratione moventur, nimium creduli, quia nondum ſunt vulpionum dolis redditi cautiores, & converſari ſimul ſemper cupiunt. *l. c.* Sunt inconſtãtes, unde citô amici fiũt, & cito quoq; eſſe deſinunt *l. 8. Eth. c. 3.* jucundũ potiᵘ ſequuntur, quàm aliud: Sunt ſimplices, nec authoritate apud populum vel alios, quibus interdum aliquid perſuadendum, valent, *l. 1. ff. de Minor. in pr.* His itaque motus rationibus Ariſtoteles, Senes juvenibus præfert 7. *Polit. c. 9.* Solon etiam juvenes prudentiſſimos arcet. Et notum quoque eſt *Caſus in Sphar. Ciſil. p. 503.*

Baldi dictum: Plùs valet umbra ſenis, quàm eloquentia & gladius juvenis, *in c.* 1. *n.* 1. *de renunciat. & in l. Senium C. de Teſtament.*

42. Verùm & Senes ſuis ſcatent vitiis: etenim malorum morum ſunt, omnia in pejus interpretantur, ſunt ſuſpicioſi, & increduli, puſillanimi, parum liberales, ſed avari: unum enim illis eſt ex neceſſariis, *Patrimonium*, quia ſciunt, quàm difficilis ſit acquiſitio, amiſſio verò facilis: ſunt timidi, quia frigidi, ſunt queruli magis quàm oportet: ad utile vivunt, ſed non ad honeſtum, & quidem magis quàm oportet, quòd ſui ipſorum amantes ſunt, utile enim ipſis bonum eſt (uti Machiavello,) &c. quæ omnia habentur 2. *Rhetor.* c. 13. Senes porrò ſunt laborum & dolorum impatientes, obliviosi, quo defectu multæ negliguntur ſæpè occa- *Concilia-* ſiones. *Vid. Zevecotius in Florum, p. m.* 217. 218. *tio.*

43. Sed hæc κατὰ τι ſunt accipienda: non enim ſimpliciter repudiari debent juvenes, licet rarò admitti debeant. Siquidem aliquando in Juvenibus tantas reperimus virtutes, quarum ne igniculum in multis conſpicere licet ſenibus, utut aliàs doctiſſimis. Hoc enim modo Honorium puerum Conſulem à Principe creatum fuiſſe, diſcimus ex jure *l. Nemo* 14. *C. de Religioſis & ſumptibus funerum*, & *l. fin.* 4. *C. de Privilegiis eorum qui in ſacro palatio militant.* Et *Rufius* quæſtor

Rexerat ante puer populos pro conſule Pœnos. Hinc *Aurea Bulla* octodecim annorum juvenes ad Electoratum admittit: quod forſan peculiare eſt.

44. *Chriſtian. Libenthal Exerc. XI. Pol. quæſt.* 2. indifferenter excludit Conſiliariorum numero juvenes, ſive tales ſint moribus, ſive ætate tantùm, uti ipſe Philoſophus diſtinguit 1. *Ethic. c.* 1. (aliàs cap. 3.) ſive ut ille loquitur, etiamſi ſit juvenis, ſenilis tamen ſapientiæ: nam & illum excipiendum eſſe negat. Verùm puto hanc ſententiam nimis rigoroſam eſſe, hocque modo mitigandam, cum ſæpe reperiantur quidam Demophili ſimiles, qui erat ἐν παισὶ νέος, ἐν δὲ βουλαῖς πρέσβυς, *Pind. Pyth. Od.* 4. Ideo juvenes aliquando ad conſilia adhiberi poſſunt, quia plerumque juvenes, ingenio ſunt perſpicaciores quàm ſenes: & quidem adjungendi ſunt iuvenes ſenioribus, non tantùm, quia expedit omninò juxta annoſas arbores Plantas novas inſerere vel plantare, quæ poſt interitum vetuſtarum in locum earundem ſuccedant, *Petrus Gregor. l.* 24. *de Rep. c.* 6. *n.* 2. ſed etiam ſi cauſæ non nimis ſecretæ tractantur, ut vota quoque dicant, vel illud ipſis rebus civilibus imerſi exerceant, & ad majora præparentur: ſi verò arcana, & res majoris momenti in conſultationem veniunt, non quidem vota dicant, ſed

Quomodo juvenes admitti poſſint?

audiant, & ſenibus, factis & dictis ſimiles ſuo tempore fiant.

45. Vitia quæ ſenibus ex Ariſtotele objiciuntur, nobis non obſtant. Siquidem Ariſtoteles de decrepitis, non autem qui adhuc intra 30. & 60. annum vivunt, loquitur; ita enim habent verba: *Seniores verò, & qui vigorem remiſerunt, &c.* De his nobis ſermo non eſt, utpote quibus benè notum eſt illud de ſexagenariis proverbium: *Sexagenarios de ponte*: ideò enim de ponte debent dejici h. e. numero Conſiliariorum excludi, & ſuffragia (quæ per pontem ferri ſolebant) eorum non admitti, quod animi vigorem remiſerint & ad civilia negotia inepti facti fuerint; ſiquidem *ut corporis, ita mentis quoq; ſenectus eſt*, inquit Ariſtoteles 2. *Polit. c.* 7. (aliàs 9.) Unde *Seneca* teſte, à quinquageſimo anno lex militem nō cogit: à ſexageſimo Senatorem non citat, *c. ult. de Brev. Vit. V. Fax Hiſt. Choikier*, C. 1. c. 1.

Senes decrepiti ad conſilia adhiberi nō debent.

46. Nos itaq; Ætatem Conſiliarii comprehenſam dicimus regulariter intra 30. & 60. annum. & hanc mediam conſiliis aptiſſimam eſſe judicamus: quia inter juvenilem & ſenilem ætatem extremam humores ſunt æquabiliores & temperatiores, affectus item animi ſunt tranquilliores, rerum uſu, memoria, judicio ac viribus corporis & robore homines magis valent, paucioribus

Ætas Conſiliarii ſit media.

vitiis

vitiis ſubjacent, gravitatemque convenientem ſervant. Dico autem regulariter, quoniam aliquando ante trigeſimum, uti ex §. 43. patet, & poſt ſexageſimum annum ad munus conſiliarii idonei reperiuntur, uti teſtatur quoque *Furius Ceriolanus c. 3. de Conſil.* Sed hi rari ſunt. Ex quibus jam intelligitur, quomodo *Plato l. de LL.* ad ſeptuageſimum annum quempiam in Magiſtratu perſeverare velit.

47. Magis Fortunæ bonum eſt, *divitem*, ſive *opulentum eſſe*. Hoc fortunæ bonum etiam requirimus in Conſiliario: nolumus enim Conſiliarium noſtrum extremâ paupertate laborare, non tantùm, quia Conſiliarius inter cæteras vitutes, Liberalitate quoque conſpicuus eſſe debet, ſed etiam quia pauperes rarò ultra ſuam ſortem ſapiunt & apud excelſos humilium ſemper fortuna ſordeſcit, etiamſi ſint ſapientes: Sapientia pauperis, inquit *Salomon Eccleſiaſt. IX.* contempta eſt, quia ejus verba non ſunt audita. Quod confirmat quoque *Juvenal. Satyr. 3.* *Conſiliarius ſit dives.*

Haud facilè emergunt, quorum virtutibus obſtat
Res anguſta domi.

Et *Plautus in Stich.* ait: Paupertas facit homines ridiculos. Deinde, divites amantores ſolent eſſe Patriæ, quàm pauperes, *Paupertatis incommoda.*

 quippe

quippe qui ex ejus interitu plus perdunt & amittunt, quàm pauperes, ex quo fundamento, eorum jubet *Ariſtoteles* 4. *Pol. c.* 12, & 5. *Pol. cap.* 9. majorem haberi rationem, quorum magis intereſt, Rempublicam ſalvam manere. Et tandem paupertas etiam homines ſuſpectos reddit, cùm periculum ſit, ne manus alienis rebus injiciant, aut conſilium in gratiam, & ob pinguem offam Principi ſuppeditent, quod alias nunquam dediſſent, aut cui aliàs contradixiſſent: Pauperes enim in publicis timidiores eſſe ſolent aliis: Unde etiam alibi, nempe in Magiſtratu, ſæpè pauperes venales fiunt, teſte Ariſtotele 2. *Pol. c.* 9. *Et Cicero l.* 4. *Rhetor.* Duo ſunt, inquit, quæ poſſunt ad turpe compendium commovere, *Inopia & Avaritia.* Siquidem egentiſſimo omnia cum pretio honeſta ſunt, *teſte Saluſt. in Jugurt.* Quid? *Juvenali autore Satyr.* 3.

> ——— *Contemnere fulmina pauper*
> *Creditur atq; DEOS.* ———

Quam ob cauſam *Calliſtratus l.* 3. *in pr. ff. de Teſtib.* inter cœtera jubet inquirere de paupertate teſtium; *Teſtium fides*, inquit, *diligenter examinanda eſt, ideoq; in perſona eorum exploranda erunt* —— *an locuples, an egens ſit, ut lucri cauſa quid facile admittat, &c.* Si hoc in teſtibus obtinet: multo magis

Cauſ. 12. *Can. Habebat* 17. *quæſt.* 1.

magis in Conſiliariis obtinebit, quibus maxima ſæpè committuntur arcana.

Quomodo pauperes poſſint eſſe Conſiliarii.

48. At verò, ne pauperes ab omnibus excludamus honoribus, (quod proh dolor! hodiè nimis frequens, contra licet omnem honeſtatem;) cùm πενία Bonæ mentis ſoror perhibeatur, & potiùs apud bonos, quàm apud pravos eſſe ſoleat, non diffitente quoque ipſo *Ariſtotele Problem. ſect. 29. probl. 4.* Notandum, ſententiam noſtram accipiendã eſſe *comparatè*, ſi nimirùm cætera ſe habeant paria in divite & paupere, tùm divitem præferendum eſſe, cùm in illo plures reperiantur perfectiones, quàm in hoc. Quòd ſi verò dives ſit ſapiens ſive eruditus, ſed ſimul impius & malus, melius erit, eligere conſiliarium pauperem, quàm divitem improbum. Maximè, cùm indigentiæ pauperis ſubveniri poſſit, imò debeat conſtituto *ſalario honeſto & largo.* Multorum, *inquit Scheurel. in Diſſert. Pol. pag. 426. ſanè*, quod proh dolor! experientia plus nimio comprobat, honeſti calores & generoſi affectus graviſſimo egeſtatis onere deprimuntur, qui ſine dubio ad laudem, gloriamque aſcendere potuiſſent, ſi res paulo lautior ſuppeteret: Tantum abeſt, ut vir humilis & in re tenui repræſentare perſonam magni Principis, aut Reipublicæ queat; quia

Adde Andream Alciat. in Emblem. Embl. 120. & in illũ Claud. Minoen.

Virtus, fama, decus, divina, humanaq; pulchris
Divitiis parent, quas qui conſtruxerit, ille
Clarus erit, fortis, juſtus, ſapiens etiam, & rex,
Et quicquid volet. Hæc Scheurel.

Docentibus honeſta conſtituenda ſunt Salaria. II. *Item l, c. pag.* 193. Si ſtipendia eſſent pinguiora Præceptoribus, ſi honeſtior iis daretur locus, haberi forte excellentiora etiam ad hanc provinciam ingenia poſſent, nunc quia nihil aliud ferè ſperandum iis eſt, quàm ut aut ſtrenuè egeant, aut fortiter contemnantur, aut quod omnium eſt peſſimum, ſub arbitrio & imperio imperitiſſimorũ ſæpè vivant, &c. Hæc, niſi blennus ſit, ſi ad Conſiliarios mutatis mutandis accommodaverit, quin videat inde è numero Conſiliariorum nullatenus pauperes excludendos eſſe, ſanè nihil videt. Adde ſi placet *Principis Pliniani, Jacobi à Bruk, Aphoriſm.* 44. & ſatis multa quæ diſcas, invenies.

Conſiliarius ſit Nobilis. 49. Sit porrò Conſiliarius *Nobilis*, ſive inſignis natalium ſplendore: Nobiles enim ſemper apud majores in honore fuiſſe & pretio, ſi nimirum probitas ſupponatur, non tantùm Plato & Ariſtoteles, ſed etiam omnes alii rectè ſentiẽtes, & puriores Philoſophi & Politici teſtantur. *Vid. Draco de Patriciis, pag.* 155. *n.* 23. Hinc *Cicero in Orat. pro P. Sextio*: Omnes boni ſemper nobilitati favemus;

mus; & quia utile eſt Reip. nobiles homines eſſe dignos majoribus ſuis;&quia valet apud nos clarorum hominum, & bene de Rep. meritorum memoria etiam mortuorum. Nec ſine cauſa favemus nobilibus, pro illis enim præſumptio eſt, præ aliis eſſe optimos, id quod etiam teſtatur *Ariſtoteles* 3. *Pol. c.* 8. Præſtantiſſimus quisque ex præſtantiſſimis naſcitur. Unde *Horatius l.* 4. *Carm. od.* 4.

Fortes creantur fortibus & bonis.

Fortis autem & generoſus animus, ut habet *Seneca Epiſt.* 39. hoc in ſe habet, quòd concitatur ad honeſta. Neminem excelſi ingenii virum humilia delectant & ſordida.

50. Verùm, non intelligimus tantùm nobilem genere, virtute verò vacuum: hi enim domi ſolùm, & ex lege, non naturâ nobiles ſunt: Siquidem juxta *Lucan. ad Piſ.* *Nobilitas duplex, Naturæ & Virtutis, ſive Generis & Virtutis.*

——— Perit omnis in illo
Nobilitas, cujus laus eſt in origine ſolâ.

Hinc non male quærit *Juvenalis, Satyr.* 8.

Stemmata quid faciunt? quid prodeſt, Pontice, longo
Sanguine cenſeri, pictosq; oſtendere vultus
Majorum, & ſtantes in curribus Æmilianos?
Quis fructus generis tabulâ jactari capaci,
Famoſos equitum cum Dictatore magiſtros,
Si coram Lepidis malè vivitur? ——
——— Quis generoſum dixerit hunc, qui

Indi-

Indignus genere, & præclaro nomine tantùm
Inſignis? ——— ——— ———

Rectè enim *Codrus Vrceolus* in Epigrammatibus:

Sis licet ingenuus, clarisq; parentibus ortus,
Eſſe tamen vel ſic beſtia magna potes.
Adde decus Patriæ: & claros tibi ſume propinquos,
Eſſe tamen vel ſic beſtia magna potes.
Sint tibi divitiæ, ſit larga, & munda ſupellex,
Eſſe tamen vel ſic beſtia magna potes;
Deniq; quicquid eris, niſi ſit prudentia tecũ,
Magna quidem, dico, beſtia ſemper eris.

Siquidem

——*Non cenſus, nec clarum nomen avorum,*
Sed probitas magnos, ingeniumq; facit.

Vid. J*acob. Martini in Pol. pag.* 825. *& ſeqq. Bernegg. in diſp. de Nobilit. Eund. in diſp. de Aula Princip. pag.* 8. *&* 9. *Dn. D. Franskium in diſp. de Nobilit. th.* 12. 37. *Chriſtan. Matth. in Syſtem. Pol. pag.* 359.

51. Tandem Conſiliarius non ſit *Peregrinus*. Rationes hic multas non adducam: videantur *in diſp. An Peregrini publicis officiis arcendi?* Item *in diſp. de Civ. & Civit. q.* 2. *Conſiliarius non ſit peregrinus.* Solùm hoc notetur, quòd Conſiliarii peregrini pro arcano habeant, bonorum ſuorum ſummam non habere repoſitam ibi, ubi degunt. Deinde quid facturi ſint, ſi conſilium ſuppeditare deberent contra ſuam patriam.

Conſi-

Conſiliarii peregrini, *inquit Beſoldus*, non in conſilium ſunt admittendi, ubi aliquid tractatur, Patriam illorum aliqua ex parte concernens: in cauſam enim incumbunt ſemper natalis ſoli; quod certè

Immemores non ſinit eſſe ſui.

Conſultius itaque eſt, indigenam potius, quàm extraneum Conſiliarium eligere; cum ille fidelis magis eſſe putetur erga patriam, omnesque ſpes intra ejus limites concluſas habeat: Extraneus verò fidem ſuam mercede expoſitam habeat. Et licet Fidus eſſet per aliquod tempus, metuendum tamen esſet, ne à peregrinis Principibus corrumperetur. Deinde, ſi conſilii caput eſt, Noſſe Rempubl. uti §. 5. ſupra dictum, quomodo non magis civis Originarius & indigena eam noſcet, quàm alienigena: hi namque raro ngeniorum, morum, paternarum legum, otiusque adeò Reip. ſatis gnari exiſtunt. Quid, quod *Lipſio teſte in not. ad l.* 3. *Pol. c.* ſignum labentis Reip. ſit, ſi ad eam fulendam peregrini adhibeantur. *Vid Joh.* *rantius JCtus in tr. de Senat. l.* 1. *c.* 16. *p. m.* 56. *Chokier in Theſ. Pol. l.* 3. *c.*6. *p. m.* 260. *ſeqq.* Notetur hîc, *à Keckermanno*, in regno tũ eſſe, referri inter dona naturæ, quod ra-ni ſatis conveniens eſſe mihi non videtur. *Srà Indigena.*

52. Hactenus allata, & pluribus expoſita ter & clarius ita proponi poterunt. Dictum fuit

fuit ſupra in definitione Conſiliarii, quod debeat eſſe perſona legitimè vocata, intelligo, ab iis qui vocandi jus habent, h. e. imperantibus, ſive adminiſtratoribus. Quæ vocatio ut legitimè ſe habeat, aliqua notanda erunt Ante Electionem; aliqua In Electione; aliqua Poſt Electionem.

In Electione Conſiliarii obſervanda, quædam Ante Electionem

§ 3. *Ante Electionem*, Princeps obſervet, an perſona, quam ut Conſiliarium vocare vult, *famâ* etiam aliqua nitatur. Hæc fama autem non in ſtudiis privatis, non in commendatione, aut precibus (ſuffragatione) paucorum, ſed communi conſenſu plerorumque, aut proprio cognoſcendi judicio conſiſtit. *Vid. Boccalinus Cent.* 1. *Relat.* 90. *pag. mihi* 262. *item diſp. mea de Quæſtione, An Peregrini publicis judiciis præficiendi* §.17 *pag.* 238. Singuli enim decipere & decipi poſſunt, nemo omnes, neminem omnes fefellerunt, *Plin. in Panegyr. c.* 62. *n. fin.* Addatur *Bernegg. in h. l.* II. Num familiæ quoq; honeſtæ ſit: redit enim ad auctores genus, ſtirpemque primam degener ſanguis refert, *Senec. in Hippolyto*: Spurii namque licet legitimati, non facilè aſſumantur, *argt. ordinat. Cameræ part.* 1. *tit.* 3. §. 1. III. Sint nobiles aut virtuoſi, ſi generis præſtantiam ob fortunam nacti non ſint: quæ virtus probari poterit dictis & factis, quæ licet ſæpiſſimè fallant, aliqua tamen indicia ſatis probabilia

Conſiliarius ſit famâ clarus.

Sed Familiæ honeſtæ

boni-

bonitatis obſervari poterunt. *Vid. Winther. in tract. de Aſſeſſorib. part.* 1. *c.* 6. *n.* 62. *p.* 148. IV. Sint etiam divites, ne ob paupertatem, turpe aliquod lucrum appetat, & ob pingue aliquod præmium veritatem relinquat, aut ſe ab aliis, etiam hoſtibus ac vicinis corrumpi ſinat, vel etiam primum ſuum Dominum & Principem ob majora aliunde expectanda præmia derelinquat, & alii inſerviat. V. Sit præterea juſtæ ætatis, virilis ſcilicet, nõ juvenilis, in quã cõſiliorũ prudentia nondũ cadit. *In Electione*

54. *In Electione*, neceſſe eſt ut ipſi ſolenniter munus tradatur, I. Cohortatione gravi & amicâ. 2. præmiorum promiſſione, ſi fidus ſit, ſive *juſti Salarii conſtitutione*: quia eò impenditur labor & periculum, unde emolumentum & honos ſperatur, nihilq; non aggrediuntur homines, ſi magna conatis magna præmia proponantur, *Liv. l.* 4. *c.* 35. 3. Pœnarum comminatione, quæ quidem non infligendæ ex ſiniſtro optimorum conſiliorum eventu, ſed ex fraude & malo animo ſuppeditatorum. 4. & Juramenti ſolemnis ſolemni præſtatione. *Poſt Electionem.*

55. *Poſt Electionem* non facilè ſunt, etiam à novo principe, dimittendi, niſi deprehenſi ſint malitioſi, quo in caſu, non ſolum dimittendi, ſed etiam promeritâ pœna afficiendi. *Virtutes Conſiliario quædã neceſſaria*

56. Sed & cœteræ virtutes, quæ Conſiliario ſunt neceſſariæ, & à nobis in præce-

dentibus

dentibus non accurato ordine adductæ & explicatæ, alio ordine exponi, & ita conſiderari poſſunt, ut quædam dicantur Conſiliario neceſſariæ *Ante Conſultationem*, quædam *In ipſa Conſultatione*, quædam *poſt Conſultationem*.

Ante Conſultationem. §7. *Ante Conſultationem*, careat affectibus pravis, ut nihil odio, nihil amori det in Conſiliis; qua de cauſa juramento adſtringantur Conſiliarii, *vid.* §. 23. II. Rempublicam, quam conſiliis ſuis juvare conatur, intimè noſcat, & illud quoque de quo conſilium ferendum eſt. Siquidem rectè Pyrrhus: Ne mihi de militia judicet; cujus aures clangor non circumſonuit, § 5. aliàs rectè Hannibal rideret Phormionem, *vid. meâ diſp. An Literarum ſtudium militiam enervet?* III. Sit eruditus, & tàm rerum, quàm Hiſtoriarum expertus, *Logicæ* gnarus, facundiâ & eloquentia præditus, Philoſophia utraque imbutus, & linguis etiam exoticis exercitatus. §. 14. *& ſeqq.* Sit pius, & in ſuam rempubl. non animo alieno §. 13.

In Conſultatione. §8. *In Conſultatione*, Prudens ſit, perpendendo objectum, de quo conſilium dandum, an bonum, an malum, an honeſtum, an turpe; *Deuter. c.* 3, 14. *& c.* 17, 4. *Job. c.* 29. 16. non ſit præceps; ſiquidem deliberandum eſt diu, quod ſtatuendum eſt ſemel. *Cauſ.* 30. *q.* 5. ſed finem attendendo, & me-

& media ſingula perluſtrando, atq; ſic nihil improvidè & inconſideratè ſtatuendo obſervabit illud *Syrac. c. 13, ult. item c. 28.* His ita obſervatis, ſuadebit liberè, apertè, ſine ambiguitatibus, modeſtè tamen, ſine pertinacia, ſalvâ veritate & fidelitate, §. 28. 29. 30. & 21. Suadebit alacriter & promptè, cum ſalutari tamen mora. Nam melior eſt conſulta tarditas, quàm temeraria celeritas, quæ ad pœnitentiam properat. Suadebit tamē ſemotâ ſubtilitate ſuperſtitiosa &inani; cum hæc conſilia magis reddat intricata & dubia, quam certa & ſalubria, §. 8. *Vid. Piccart. 4. Polit. c. XI. pag. mihi. 581.* Reſpiciat ad ſalutem publicam, quæ promoveri poteſt Leges rectas conſtituendo, importanda & exportanda determinando, jurium Majeſtatis rationem habendo, inſtitutionem liberorum publicam curando, & ærarium juſtè locupletando? Tandem in conſiliis ſuis reſpiciat ad præterita, præſentia & futura. Eſſet enim procul dubio is paucis natus, non publico, qui tantùm ſuæ ætatis conſilia, nec plus ultra cogitaret. In conſultando ſit brevis & perſpicuus, vota præcedentia inaniter non repetat, collegis ſuis pertinaciter non contradicat: Senioribus in collegio ſuo majorem dicendi libertatem concedat, *nec ſe parem ſtatim credat, ſi recens in Senatum adoptatus, aut Seniores ferociter tractet. Winther, de Aſſeſſ. part. 1. c. 9.*

Poſt Conſultationem. 59. *Poſt Conſultationem* Conſiliarius ſit Taciturnus, non inſtar mulieris, quæ tacere non poteſt, niſi quod neſcit. Quam Taciturnitatem ut eo rectius præſtet, Sobrius ſit, & Temperantiæ ſtudioſiſſimus: Siquidem Ebrietate Principes pro medio utuntur arcana expiſcandi alterius Reipublicæ, bene gnari illius Salomonis: nullum ſecretum eſt, ubi regnat ebrietas, *Proverb.* 31, 4. Sit inſuper in Sententia ſua conſtans & firmus, ne ad quemvis Principis nutum, aut faciem torvam ſententiam ſuam leviter mutet, quod indicat animi levitatem & judicii imbecillitatem. Quod tamen non ita accipiendum, quaſi nunquam ſententiam liceret mutare ex juſtis cauſis, §. 37. Neque hanc ſuam Conſtantiam ac Taciturnitatem patiatur expugnare ullis donis aut muneribus, proinde non ſit δωροφάγος ac captator munerum, non ſolum ante, aut in, ſed etiam poſt conſultationem, §. 35. *Anton. Winther, de Aſſeſſor. l. c. pag.* 221.

Dividuntur Conſiliarii in Intimos. 60. Conſiliario ita conſiderato, videamus etiam ejus Diviſionem. Dividamus itaque eos I. in *Conſiliarios Intimos*, ſive Eminentiores, & *Inferiores*. Illi ſunt, qui ad ſecretiſſima negotia, & difficillima adhibentur, ad quorum tractationem reliqui non admittuntur: quales communiter ſunt, qui hodie Cancellarii dicuntur. Dixi, hodie:

nam

nam Cancellariatus hodiè ſummum eſt honorum faſtigium, ultra quod nihil ſperare licet, homini quidem privato & togato: quaſique quoddam, ſumma quoque ambientis, animi ſolſtitium. Ab eo jam progreſſus nullus, ſed qui ſe porrò commoverit, regredi tantùm poteſt. *Budæus ad Pandect.* Antiquitus conclave illud, in quo Magiſtratus & Judices conveniebant, in primo aditu vela quædam habebat, dein cancellos, quos *Caſſiodor. lib. XI. Epiſt. 6.* lucidas fores & feneſtratas januas appellat. Ab his cancellis miniſtros, qui iſtis adſtabant, cancellarios dixerunt. *Vid. Fax. Hiſtoriar. Johannis à Chokier, Centur. 1. cap. 85. pag. mihi 167.* *Inferiores* Conſiliarii iſtis Intimis contradiſtincti, ad intimiora negotia non admittuntur. *Inferiores.*

61. Conſiliarii quidam ſunt *Ordinarii*, quidam *Extraordinarii*. *Ordinarii* ſunt illi, qui ſemper vel ſæpiſſimè ad conſulendum, ſuadendum ac decernendum, à Senatu, ſive Magiſtratu vocantur ac citantur. *Extra Ordinarii* ſunt, qui nec ſemper, nec eodem tempore, niſi in caſibus forſan graviſſimis, & rebus ad ſummam Reip. ſive Provinciæ curam pertinentibus, vocantur: qui iterum poſſunt eſſe duplices: vel enim ſunt *Provinciales*, die Lands-Räthe/ quales ſunt communiter Præfecti Municipiorum, die Stadhalter: vel extra *Ordinarios.* *Extraordinarios.* *& ſunt vel Provinci-*

ales, vel ExtraProvinciam. *extra Provinciam* ſunt, & vocantur die Räthe von Hauß auß.

Ordinarii ſunt, vel Civiles, iiq; vel Togati vel Sagati.

62. Ordinarii iterum poſſunt dividi in *Civiles, & Eccleſiaſticos.* Civiles ſunt vel *Togati*, vel *Sagati.* Civiles Togati ſunt, qui ſuis Conſiliis & actionibus civilia & politica, ſtatu quieto ac tempore Pacis dirigunt, & ponderant negotia ac diſceptationes. Sagati verò, qui in rebus Militaribus adhibentur, uti ſunt Duces, Imperatores, tribuni militum, chiliarchæ, &c. Ex Civilibus quidam ſunt *Aulici*, die Hoffräthe: quidam *Curiales.*

Eccleſiaſtici. *Eccleſiaſtici* ſunt, qui de Deo, receptisque tantum ſacris rectè & verè ſentiunt, & quæ ad eâ pertinent, ſuis cõſultationibus ſtudiosè & præmeditatè moderantur & promovent.

Conſiliariorũ præmia, & privilegia.

63. Ad Quæſtiones aliquas progrediamur, ſi modo prius adhuc aliquid dixerimus de *Conſiliarii præmio & privilegiis.* Quod præmia quidem attinet, non intelligimus Conſiliarii juſtum Salarium, illud enim debitum eſt; ſed aliquod honorarium extraordinarium, ſi ſuis conſiliis diu & benè demeruit de Republica. *Lipſius quidem l. 3. Polit. c. 8.* diſſuadet, ob bona conſilia, à Principe Conſiliariis præmia eſſe tribuenda, ſicuti nec ob mala, quibus eventus contrarius reſpondet,

Præmia. nullas imponendas eſſe pœnas. Quod quoad pœnas facilè largimur, ex rationibus infra in quæſtionibus adductis. Verùm quoad præmia

præmia omninò diſſentimus: & cum Mecænate rectè ſtatuimus, niſi velimus induſtriam bonorum langueſcere, ſocordiam verò intendi, præmia bonis cōſtituenda eſſe. Spe enim præmii induſtria alitur, quâ dēpta, ipſa per ſe virtus amara plerisque atq; aſpera eſt. Deinde ſi præcipua ferè Civitatis felicitas in eo conſiſtit, ut boni præmiis ornentur ac honoribus: quidni præ aliis ornari quoque iis Conſiliarios multum Reipubl. conducet? *Dicis*: Honeſta ſuoptè ingenio ab optimis quibusque peti, nullo vel divitiarum vel honorum intuitu: tamen & iſta non rarò ſtimulos multis addunt, ut eo alacrius virtutis tramitem emetiantur. Conſilium verò Lipſii demum procedit, ubi natura Conſiliarii mala eſt, quæ facilè hujusmodi præmiis in tranſverſum rapi poteſt.

64. *Privilegia* Conſiliariorum quod attinet, nonnulli dicunt, quod inter reliqua etiā hoc ſit, quod illi lædi ſine Majeſtatis læſæ crimine non poſſint à ſubditis; quod tamen non eſt intelligendum de omnibus conſiliariis, ſed ſolum de Conſiliariis Principis, ſive illius, qui ſummam poteſtatem habet: ſed adhuc cum ſequenti limitatione, ſi intuitu ipſius Principis injuriâ afficiatur, *l. 5. C. ad l. Jul. Majeſt.* quia ſic ipſam Majeſtatem repræſentant, & pars corporis Principis dicuntur, *l. d.* ita ut ex hac ratione ipſi Principes Con- *Privilegia*

 ſilia-

ſiliariorum ordini adnumerari non vereantur; *l.* 8. *C. de Dignitat.*

65. Conſiliarium eſſe, à Patria poteſtate liberat: ab oneribus tàm perſonalibus, quàm patrimonialibus immunes facit, *arg. l. 6. C. de Profeſſor. & Med.* Nobilium ordini adſcribit, eorum habitum concedit, néq; ut illi quæſtionibus ſubjiciantur, permittit. Conſiliarii Principis Doctores præcedunt, & primum occupant locum præ Doctoribus Juris: Emeriti, & rude donati, ſalario tamen ordinario gaudent. Et hæc de Natura & Requiſitis Conſiliarii ſufficiant: unam tantum, aut alteram liceat quæſtionem ſubjungere.

Quæstio I.

An vota & ſententiæ, omnium primò debeant exigi à junioribus, an à ſenioribus?

§. I.

Meritò hic quæſtio hæc movetur, cum ſatis operoſum ac difficile ſit primum ferre votum, atq; ſic ſtatim feli tintinabulum appendere, ac dicere, quid de propoſita propoſitione ſentiendum ſit, maximè ſi ſit res odioſa. Nihilominus tamen non ſine prægnanti cauſa multis in locis votorum initiũ faciunt Seniores, quod majoris authoritatis ſint ac prudentiæ, habeantq; experientiam, inde-

indeque juniores ſuper re propoſita inſtrue-ere poſſint. Et hoc conformiter legibus Civilibus, quæ Senioribus in edicendis & exponendis cauſis & conſultis primas tribuunt, *arg. l. 2. de offic. Magiſtri officiorum.* Et Præfecto Collegii abſente, ejus vicem, qui in ordine vetuſtior eſt, ſuplere injungit, *l. 3. C. de Præfect. Prætor.*

2. In quibusdam verò Curiis juniores, ante ſenes rogantur, ut in explicandis ſententiis liberiores ſint, qui recedere a Seniorum opinionibus propter autoritatem non auderent. Sic moris erat in Rep. Romana dicendæ in Senatu ſententiæ initium fieri à Coſſ. & iis, qui alios dignitate anteibant. *Gell. l. 14. N. A. c. 7.* Quod poſtea mutatum eſt, & primi rogati ſententiam, qui nondum geſſerant magiſtratus; *Dio l. 39.* ne, puta primi illi vel cœteris dicendi libertatem ſubtraherent, vel authoritate, non judicio ſequentes in ſuas partes traherent. Inde *Tacit. inquit l. 3. Annal. c. 22. n. 6.* Exemit (Tiberius) etiã Druſum Conſulem deſignatum dicendæ primo loco ſententiæ: quod alii civile rebantur, ne cœteris aſſentiendi neceſſitas fieret.

3. Operæ pretium eſſe puto, receptum Curiæ morem ſervare, niſi fortè melius ſit, id Principis, aut Præſidis prudentiæ relictum eſſe, ut attentâ rei propoſitæ qualitate, vel ætatis, vel dignitatis ordinem, vel nullum,

vel inverſum ſervet. *Andreas Rey. de Concil. ſeu Conſult. diſc. 6.* rem ita exponit: Non abs re eſſe, ſi ordinem certum ætatis ac dignitatis Princeps ſervet, ita tamen, ne ſe ad iſtum ordinem adſtringat: interdum etiam inverſo utatur. In arduis negotiis, quæ ſubitam poſtulant expeditionem, Princeps calidiora & ſubtilia ingenia, ad choleram vergentia, poterit præmittere: ad melancholiam autem inclinantia poſtponere. Nam ut illa repentè invenire: ita hæc inventa expendere & dijudicare poſſunt. *Vid. Hippolyt. à Coll. de Conſ. p. 65. Althuſius in Polit. c. 5. n. 63. Beſoldus de Conſilio Politico c. 15. pag. mihi 249. 250. Lipſius l. 3. Polit. c. 8. n. 12. in not. Reinhard. König. in Theatr. Polit. pt. 2. c. 28. n. 9. & 10. Buſius l. 2. de Republ. c. 8. §. 5. pag. mihi 74. idem in Aphorism. Pol. ſect. 6. aphorism. 4. pag. 185. Budæus in l. ult. ff. de Senatorib. pag. mihi 79. Item noſter. tractat. de Senatoribus, §. 55.*

4. His poſſet ſubjici quæſtio primæ admodum affinis, nimirum: *An vota majora, meliora paucorum votis?* In omni Judicio obtinere debet illud Commune, Vincat ſententia non prima, ſed melior. Vota ponderanda ſunt, non numeranda. Unde etiam unius *Paphnutii* ſententia contra omnes obtinuit in Synodo Nicæna, *Diſt. 31. can. 12.* adde *l. 8. ff. de Pactis. Vid. Hænonius*

nius in Polit. diſp.3. §. 13. pag. mihi.75. item noſtra diſp. Politica de Politia, §.27. & ſeqq.

Quæstio II.

Utrum Princeps novus, Anteceſſoris ſui Conſiliarios mutare, & dimittere debeat?

I.

NEmo facilè hoc perſuadebit Principi, cujus, ut & totius Civitatis ſalutem ex animo procurare cupit, ut confeſtim cõſiliarios Anteceſſoris dimittat, novosque ſibi quærat. Etenim priores illi & veteres gnari ſunt virium Principis, arcanorum Reipublicæ, de quibus vel ipſum Principem monere potuerunt: aſſiduo negotiorum uſu imbuti probè, & perpoliti. Quos, ſi Princeps res ſuas ſibi habere juſſerit; res profectò periculo vix carebit, dũ decreta Principis, & arcanaReip. aliis pateſaciunt: & talis inexpectata remotio, ac ſubitanea dimiſſio non rarò vindictæ cauſam aliquam excitat. *Vid. Excellentiſſ. Dn. Conring. in diſp. de Boni Conſiliarii in Republ. munere, concluſ.* 42. ubi affirmat, tales remotos ſubitaneè conſiliarios infamiæ notam aliquam apud vulgus incurrere, quam vindicare conantur, ut ea ſe liberent. Qua de cauſa Ludovicus XI. Galliarum Rex, filio ſuo Carolo paternè perſuadere voluit, ut in adminiſtratione

nihil mutaret, atque antiquos familiares, amicos & miniſtros retineret. Imperator Commodus tamdiu feliciter ac prudenter imperavit, quàm diu Conſiliarios à Patre commendatos in conſilium adhibuit. *Vid. Zinckgreff. in Apophthegmat. German. pag. mihi. 15. & 450.*

Conſiliarii novi. 2. Præterea, novi Conſiliarii novum imperandi modum introducunt. Nam mutatis conſiliariis, etiam vulgi judicio & ſententiâ, (quod judiciũ ſemper ſperni non debet,) leges regiminis quoq; mutari ſolent, & communiter ſuppreſſio libertatis ſequitur. Ex his ſæpe ſiniſtra & fœda ſubditorum ſimulatio, toti Reipubl. pernitioſiſſima oritur. Quod ſi tamen Reipubl. ultima ſalus, aut conſiliariorum quorundam malitia extrema remotionem juberet, omninò removendi eſſent, cum Salus Publica ſuprema lex eſſe debeat. *Vid. Libenth. in Coll. Pol. Exercit. XI. q. 3. Reinhard. König. Theatr. Pol. p. 2. c. 36. Beſoldus in Synopſi Polit. pag. 272. Gerhart. in Quæſt. Pol. decad. 4. q. 7. Keckerman. in Syſtem Polit. p. mihi. 158. Chockier. l. 4. Theſ. Pol. c. 7. p. m. 358. & ſeqq.*

Quæ-

Quæstio III.

An Conſiliarius, diverſæ à Principe religionis eligendus?

I.

ARiſtoteles 7. *Polit. c.* 8. affirmat, Religionem eſſe fundamentum totius Regni. Quod ſi verum, ut eſt, dubium non erit, quin ſimul Religio fidei etiam Civilis fundamentum dicendum ſit. Fides enim, quæ Principi datur, juramento nititur & confirmatur, in quo juramento, cum Deus, ut vindex, ac teſtis invocetur; ſi conſiliarius alterius religionis ſit à Principe, licet unus ſolum Deus ſit, non tamen credunt, juramento obſtringi ad præſtanda omnia, quæ ab alterius religionis Principe mandantur aut imponuntur: cùm ſæpe jubeantur talia, quæ contra alterius religionem eſſe videntur, etiam ſolùm in iis, quæ ſunt extra Articulos fidei *v. g.* Ferias nonnullorum Sanctorum celebrare, abſtinere certis diebus à carnis eſu, &c. Satius igitur eſt, ut unius, ejusdemque cum Principe religionis Conſiliarius eligatur, quàm alterius. Unde Deus jubet, *Numer. cap. XI.* ut Moſes è medio Jſraëlis Senatores eligat. Jam autem in Repub. Jſraëlitica alterius Religionis homines, cumprimis tempore Moſis non perferebantur. Tutiſſimum itaque adhuc erit, ut

ut hodiè etiam Reges & Principes unius Religionis habeant Conſiliarios, quàm diverſæ.

2. Notandum autem eſt, & diſtinguendum 1. inter Religiones: ſunt enim quædam *religiones, quæ non ſolum totum fidei fundamentum tollunt*, uti ſunt Religiones Gentilium, *Photinianorum*, Judæorum, &c. aliquæ, *quæ quidem fundamentum ſalvum relinquunt directè*: in conſequentiis verò aliquibus, vel ſententiis nonnullis circa fidem, quæ quæſtiones ſunt, ita ſe habent, ut vel facilè contra fundamentum facere poſſunt, qualiter ſe habet nonnullorum Calvinianorum ſententia de peccati authore, Deo: vel remotius aliquando contra fidem faciunt. Dicimus itaque, nullâ ratione licere Principi aſſumere Conſiliarium iſtius religionis, quæ religionis Principis totum fundamentum tollit; niſi velit regnum ſuum everſum iri, aut ſummi exponi periculis, ſi maximè talis ſui conſiliarii conſiliis in negotiis publicis duci velit. Si verò ſit religionis illius, cujus fundamentum directè per illam non tollitur, puto, nihil obſtare, quo minus Princeps aliquis Conſiliarium alterius à ſe religionis recipere poſſit.

Religio alia, dupliciter ſe habet.

3. Diſtinguendum II. eſt inter ipſas Respublicas. In aliqua Republica eſt ſolum una aliqua religio; in alia, diverſæ & plures.

Ibi

Ibi, ubi una ſolum religio in regno locum habet, Princeps nequaquam diverſæ religionis conſiliarios ſibi accerſere debet, quia hoc modo omnia Conſilia, à tali Conſiliario Principi ſuppeditata, ſubditis redduntur ſuſpecta. Ubi verò in aliqua republica Simultaneum religionis exercitium, ibi paritas Senatorum ratione religionis ſalvâ Republica eſſe debet & poteſt, niſi paritati Senatorum aliud quid obſtet: Sic in Judicio Aulico Imperiali utriusque religionis Conſiliarii adſciſcuntur; ſicuti etiam in Camera Imperiali. *Vid. Inſtrumentum Pacis Osnabruggenſe, Artic. 5. §. 20. Jungantur quæ in* ſimili ferè cauſa habet *Rumelin in Aur. Bull. part. 2. diſſertat.* 4. *pag. mihi* 488. *Nobil. Dn. Joh. Hieronym.* im Hoff *in Sing. Polit. c.* 1.

Quæstio IV.

Utrum Conſiliarius pœnâ afficiendus, ſi Conſilium ſiniſtrum ſortitum ſit eventum?

I.

ERrant valdè, qui puniendum exiſtimant Conſiliarium, ob Conſilii dati ſiniſtrum, & propoſito non reſpondentem eventum. Nam omnis pœna, ſi juſta debet eſſe, propter culpam infligi debet. Quomodo autem in culpam mihi imputabitur, quod non eſt in mea poteſtate? aut ratione

ratione cujus ego non ſum obligatus? Conſilii autem eventus quomodo erit in poteſtate Conſultoris, cum ſit ex principio aliquo extrinſeco. Si enim eventus conſilii dependeret à poteſtate Conſultoris, ſi conſultor alicui aliquod daret conſilium, ſimul ipſi daret eventum, qui non tàm eſſet Conſilii quàm auxilii. Hinc rectè dicitur, Conſilia non valere ex ſe, ſed ex approbatione earogantium: ſiquidem liberum cuique eſt, apud ſe explorare, an expediat ſibi conſilium ab aliquo datum, an non? Nemo namque cogitur datum conſilium ſequi, quandoquidem conſilium poſitum eſt extra neceſſitatem parendi: ex qua cauſa etiam dicitur, Conſilium neminem obligare, niſi ſit fraudulentum; *l. 2. §. 6. ff. Mandati l. 47. ff. de Reg. Jur.* Conſiliarius itaque fidem præſtare debet, non eventum. Hinc quoniam ad eventum præſtandum non eſt obligatus, ſi expectationi non reſpondeat, nullam etiam incurret culpam; quâ ſublatâ & negatâ, meritò negabitur pœna. *Vid. noſter tract. Pol. de Leg. §. 85. Chriſtophorus Forſtner ad Tacit. Annal. l. 4. c. 64. n. 2. pag. m. 390. 391. Piccartus, Decad. 1. Obſervat. Hiſtor. Pol. c. 10. Camerar. part. 3. Horar. Subciſiv. c. 58. pag. 217. Richter in Axiomat. Polit. pag. 669. Libenthal. l. c. q. 7. Reinhart. König l. c. c. 32. Vernule. l. 1. Inſtit. Polit. q. 5. Lipſ. l. 3. Polit. c. 8.*

c. 8. *n.* 16. *Beſold. in tract. de Conſilio Politico. c.* 18. *pag. mihi.* 313. *& ſeqq. Item miniſterium Cardinalis Mazarini c.* 1. 2. & 3.

QUÆSTIO V.

Utrum pejus in Republica improbus Princeps, cum bonis Conſiliariis; an bonus Princeps, cum Conſiliariis improbis?

I.

IN principio exponendum eſt, quid per improbum, ſive malum Principem intelligamus; quid item per malos Conſiliarios. Quoniam verò contrariorum eſt contraria natura, ſi nobis innotuerit, quis Bonus ſit Princeps, notum quoque erit, quis ſit malus. Sicuti autem *Bonum Principem* dicimus, qui ſua cuique relinquit bona propria, ſecundum Dei, naturæ, ſuasque ex juſto & æquo conditas leges imperat, & ſalutem ſubditorum maximè procurat: Ita *Malum Principem* vocamus illum, qui his contraria perpetrat, nimirum, qui ſubvertit bonum publicum, habita tantum ratione ſui commodi: quam boni publici ſubverſionem, reliqua omnia vitia comitantur, tollendo è medio viros prudentes & cordatos, leges negligendo, &c.

Princeps Bonus.

Malus.

2. Princeps tamen, qui refertus quidem eſt vitiis privatis, hîc nobis nomine Mali

Prin-

Principis nõ ſtatim venit, quare dictum fuit, quod *bonum publicum* evertere ſtudeat: debet enim hic haberi reſpectus in hac denominatione ad Rempublicam, non ad Oeconomiam propriã. Vel ut alii ſolent diſtinguere, inter *Virtutes Regias*, & *Toti hominum generi communes*: ita diſtinguenda erunt *Vitia Regia*, ab iis, quæ *Regi familiaria ſunt ut homini.*

Bonus Conſiliarius. 3. *Bonus Conſiliarius* ille erit, qui conſiliorum ſuorum finem ſtatuit Salutem totius Reipublicæ, eandemque obtinendam ſuadet omnibus viribus & mediis idoneis ac juſtis; quo ſuppoſito, *Prudens* erit, quæ prudentia in Malo homine eſſe non poteſt: etenim in malo homine, prudentia quæ dicitur, *Calliditas* potius eſt & *verſutia*, quàm prudentia. Siquidem hæc omnium virtutum, moralium, verum condimentum eſt, & earum perfectio, quæ virtutes morales in malo homine locum non inveniunt. Huic tamen prudentiæ nequaquam obſtat, quo minus tum Princeps, tum Conſiliarius in Republica adminiſtranda, & ob eam conſilia à Conſiliario ſuppeditanda, non arripere poſſint, & obſervare *Rationem-Status*, utpote, quæ nihil aliud eſt, quàm extraordinaria, ac in caſibus ſubitaneis ac periculoſis moram omnem excludentibus, particularis Prudentia. *Ratio Status.*

4. Con-

4. Contra *Malus Conſiliarius* eſt, qui omnia ſua conſilia dirigit in ſubditorum ſuppreſſionem, eoq; nomine Principi omnia ſupprimendi media ſuppeditat, prætextu Principis emolumenti & autoritatis ac poteſtatis, omniaque jure fieri à Principe contendit, dum aſſerit, *Subditos propter Principem eſſe*, non verò *Principem propter ſubditos*: Illum jus habere in bona ſubditorum, poteſtatemque vitæ & necis, etiam tum cùm nulla neceſſitatis exiſtat cauſa, aut delictum aliquod præceſſerit. *Malus Conſiliarius.*

5. Antequam quid ſentiamus, aperiamus, diſtinguendum adhuc eſt, inter *Principem abſolutæ poteſtatis*: cui & in quem omnem ſuam poteſtatem populus contulit: & inter *Principem ſub certis conditionibus conſtitutum*, in quem populus poteſtatem ſuam tranſtulit *Cumulativè*, & in quem *ſibi aliquid juris reſervavit* populus, ſi contra utilitatem Reipubl. publicam quid moliretur. *Vid. Naamanis Benſenii Exercitatio Politica de Summæ Poteſtatis Subjecto, in Vindictis contra Figlovium §. ultim. penè in fine*: ubi dicit: In regnis Electitiis, iisque κατὰ νόμον poſſe uſu venire, ut populus vel optimates ſub certis conditionibus alicui imperium deferant, & ita quidem, ut ſi non ſteterit promiſſis, ſolio etiam deturbari queat.

6. Jam dicimus, *in regno παμβασιλικῷ*, ubi omnis poteſtas populi eſt translata in Principem abdicativè: *Tolerabilior ſtatus eſt ſub Principe bono & malis conſiliariis, quam ſub Principe Malo, & Bonis conſiliariis.* Ratio eſt, quia Princeps bonus, quia bonus eſt, non corrumpetur Conſiliariorum ſuorum perverſis perſuaſionibus, cùm in ejus poteſtate ſitum unicè ſit, ſequi vel non ſequi, teneri vel non teneri conſiliis. Et quia bonus eſt, quà bonus, non ſolum non ſequetur, ſed nec poteſt etiam ſequi mala illa conſilia: aliàs, bonus & prudens dici non deberet.

7. Si verò eſt *Status* aliquo modo *mixtus*, ubi Princeps cogitur ex legibus, in negotiis Rempublicam concernentibus asſumere Conſiliarios, eosque audire, eorumque majora vota ſequi: *melius eſt, vivere ſub bonis Conſiliariis, & malo principe; quam ſub malis conſiliariis, & principe bono*: propterea, quia unius votum à plurium votis facilè ſupprimi & ſuperari poteſt. Notum enim eſt ex *Fragment. Eſther. cap.* 4. *verſ.* 7. quod malis quorundam ſuggeſtionibus, Regum ſtudia depraventur. Ex quo parum eſt, quin in communi ſtatui poſſet, *Bonos Conſiliarios, Malo Principe optabiliores eſſe*: cùm ſæpè Principes fidem & officium prodant, & cum furibus ſceleris ſocietatem ineant, docente & conquerente *Eſaia c.* 1, 23.

verùm

verùm Vir Sapiens placabit eum, *Proverb. cap.* 16, 14. *Vid. interim Keckermann. lib.* 1. *Syſtem. Politic. pag.* 157. *Velſten. Decad.* 9. *Quæſt. Politic. quæſt.* 9. *Forſtner. in lib.* 6. *Annal. Tacit. cap.* 44. *num.* 6. *pag. mihi* 449. *Lipſ. l.* 3. *Polit. c.* 10. *n.* 8.

8. Non abs re eſſet, hîc quoque tractare illam quæſtionem: *Quomodo ſe bonus Conſiliarius ſub Malo Principe gerere debeat?* Quoniam verò prolixè hoc factum ſit in diſputatione aliqua peculiari, cujus titulus: *Manius Lepidus, ſive Bonus conſiliarius ſub Malo Principe, ſub præſidio Plurim. Reverendi & Excellent. Dn. Jacobi Schalleri, S. Theol. Doct. & Philoſoph. Practic. Argentorati Prof. Publ. Fautoris & Amici mei honoratiſsimi*: nolo ejus ſcrinia expilare, ſed Benev. Lect. ad eam potius remittere: ubi videbit, Conſiliario bono ſub malo Principe conducere obſequium laborioſum, ſine tamen jactantia, cum Gravitate connexa, excludente Contumaciam ac moroſitatem, nec non nimiam facilitatem ſive familiaritatem & confidentiam, ex qua ſatietas, contemtus, odium & tandem certus ſequitur caſus.

Quæstio VI.

An Conſiliarius etiam non requiſitus debeat monere, & conſulere?

I.

PUto inter reliquas differentias Senatoris & Conſiliarii, etiam hanc rectè referri, quod Senatoris ſit, ſemper in Senatum venire: unde criminis olim erat, non petito & conceſſo commeatu à Curia abeſſe: Ex quo Ariſtoteles docet, non impunè permitti debere Patriciis à Comitiis publicis abeſſe 4. *Polit. c. 13.* Conſiliarius verò tum demum veniat, ſi fuerit vocatus: licet etiam ſit Ordinarius. *Vid. Reinhard. König. l. c. p. 2. c. 24.* Senator communiter etiam in Civitatibus ſimul tanquam pars Magiſtratus eſt: quod tamen non obtinet in Conſiliario, ut iterum docet *König. l. c.*

2. Sunt qui diſtinguunt hoc modo: Aut Princeps, & cœteri conſiliarii, noverunt negotii tractandi circumſtantias omnes, aut non. Si noverint, Conſiliarius ſe intrudere non debet: contra Principis enim voluntatem id faceret, qui negligendo eum omittere voluiſſe in iſto negotio videtur. Et talis intruſio ſaperet utique πολυπραγμοσύνην, quod ſe immiſceret negotio ad ſe non pertinenti, *l. 19. de Reg. Jur. in 6.*

3. Dicit;

3. *Dicis*: Poteſtatem omittendi non eſſe penes principem. Quod videtur innuere *Priſcus Helvidius*, ſua reſponſione, quàm Veſpaſiano dedit, ad ipſum mittenti, ne in Senatum veniret: quam *Arrian. in Epict. l. 1. c. 2.* refert, & nos *eand. ſupr.* §. 30. adduximus. Id quod inſuper ex officio Conſiliarii probari poteſt, quod eſt Principi ſalutaria monere & perſuadere. ℞. Factum Helvidii potius contrarium probat: Si enim Princeps poteſtatem habet ſuſpendendi & ab officio removendi; quidni & poteſtatem negligendi: maximè ſi Princeps juſtas negligendi in hoc ſpeciali caſu, cauſas habeat, quando ſcil. fortè Conſiliarius in negotio præſenti eſt ſuſpectus. Officium autem eſt venire, & ſalutaria Principi ſuppeditare Conſilia, & hoc ſemper, ſi ſcil. à Principe vocatus fuerit. Falſum itaque eſt, Principem non habere poteſtatem omittendi & prætereundi. Aliter autem res ſe habet, ſi aliquis Conſiliariorum negligatur & non vocetur à cœteris ſuis collegis, inter quos tamen æque receptus & relatus à Principe: hîc enim excluditur vel jubente & ſciente Principe: & ita ſe negotio, à quo eſt excluſus, ingerere non debet: vel excluditur à ſuis collegis inſcio & nolente Principe, ſolum ex privato odio, aut cauſâ: tunc utique confidenter accedere debet, & in

medium conſulere juxta cum aliis: eo quod Collegis ſuis jus excludendi collegam inſcio Principe non competat.

4. Si verò Principi & cœteris Conſiliariis negotii circumſtantiæ non omnes ſint cognitæ: & tamen bonum publicum & neceſſitas poſtulet conſiderationem reliquarum quoque circumſtantiarum: iſtas circumſtantias Principi & cœteris ſuis Collegis vel Epiſtolâ, vel coram ſignificabit, atque ſic ſupplebit, de ſuo autem conſilio nihil addet. Hinc itaque dicendum videtur, Regulariter, Conſiliarium non requiſitum non debere conſulere: Enarratio enim facti, conſultatio non eſt. *Vid. Dn D. Gerhard. in Quæſt. Pol. decad.* 4. *q.* 4. *Vernulæ l.* 2. *q.* 9. *Libenthal. l. c. q.* 4.

Quæstio VII.

An Princeps Conſiliariorum ſuorum conſultationibus intereſſe debeat?

I.

Quod *Juſtinus lib.* 5. *de Fortuna* dicit, id ſalvâ veritate de Principe dici poterit: Nimirum: *Quo ſe fortuna, eodem etiam favor hominum inclinat*; Ita, quo ſe Principes, eodem etiam ejus conſiliarii communiter inclinare ſolent. Hæ enim *κακοζηλία* hodie ubiq; viget, ut linguam & animum noſtrum

ſtrum Principi commodemus, ſive juſta velit, ſive injuſta. Nec carent ratione, qua adulationem & placentiam ſuam conantur colorare: dicunt namque, ſe juramento ad id obſtrictos eſſe, ut Principis ſui cauſam velint agere. Si itaq; occurrat & incidat de re aliqua controverſia, quæ ipſum concernit Principem, licet ſecundum juris viam aliud reſpondendum eſſet, tamen, quia Principis cauſam ex obligatione agere debent, contrarium ſcientes aſſerere non audebunt. Si igitur Princeps ipſe conſiliis intereſt, quis vadimonium ob nudam veritatem relinquet, & in ſe Principis odium concitabit: cum *ſicut fremitus leonis, ita regis ira ſit*, *Proverb. c.* 19, 12. *Et c.* 20, 2. *Sicut rugitus leonis, ita & terror regis, qui provocat eum, peccat in animam ſuam.* Ne itaq; à Conſiliariis veritas ita celetur, ſatius eſt, Principem conſultationibus Conſiliariorum ſuorum non intereſſe. *Vid ſupr.* §. 24.

2. Contra videtur Principis præſentia Conſiliariorum mentem & veritatem, ſi boni ſunt, magis magisque excitare, eosq; reddere fideliores: ſi verò mali, minus audebunt. Deinde inter Conſiliarios hoc modo rixæ & contentiones noxiæ impedientur. Qua de cauſa, Jacobus Britanniæ Rex, filium ſuum Henricum paternè monuit, ut à Conſiliis ſecretioribus raro abſit.

Quid, quod non ſit è re Principis, nec etiam de fama ejus, omnia negotia Conſiliariis ſuis committere: ita enim non unus regnat, ſed plures, de quo conqueſti ſunt Britanni apud *Tacitum in Vita Agricolæ, c.15. n.2. & 3, item c.30. n. 5.* dicentes, *ſingulos olim ſibi reges fuiſſe, jam binos imponi*. Nam ſi plures ſint præfecti rerum ſummæ, plures regere videantur & imperare, atque tunc ſubditi tantò graviorem experiuntur ſervitutem, quanto plures Dominos & Principes habent.

3. Puto autem, litem hanc decidi poſſe diſtinctione, inter negotia ipſum Principẽ, aut ejus jura concernentia, & inter alia negotia, quæ adeò Principem ipſum non ſpectant. Si ſunt *negotia, quæ ſunt ipſius Principis*, ſatius eſt, ſi abſit, ne præſentia ipſius impediat conſultationis libertatem: non enim quilibet iſtius fiduciæ eſt cum *Johanne Baptiſta, ut* Herodi dicat palam: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui Marc. 6,* 18. multi autem Cambyſis Conſiliarii, *ſupr.* §. 24. Si verò ſint *negotia alia*, præſens eſſe debebit, ut moneat ipſos conſiliarios, &c. excitet ipſorum judicia atque ſtudia conſulendi. *Vid. Vernulæ d. l. q. 2. Libenthal. l. d. quæſt.* 8. *Lib. Baro à Smirziz de Conſil. pag. mihi* 478. *Reinhard. König in Theatr. Politic. part.* 2. *cap.* 19.

Quæ-

Quæstio VIII.

An Conſiliarius ſententiam rectiùs proferat viva voce, an verò ſcripto, ſeu tabella?

I.

Vota cùm debeant eſſe *libera*, quicquid ad eorum majorem facit libertatem, intra juſtos tamen terminos conſiſtentem, illud utique in dandis conſiliis negligendum eſſe non videtur. Suffragia verò Tabella & ſcripto dare, ſive ex periculo (breviculo) recitare, cumprimis in cauſis gravioribus, liberius fit, citra omne ſcilicet odium & invidiam. Sicuti enim mortui, ſive muti præceptores, h. e. ſcripta optimorum authorum, ſunt optimi, quòd citra favorem, aut reſpectum perſonarum omnes æqualiter informent: ita ſuffragia, tabulâ prolata, citra perſonæ alicujus præjudicium juſtitiam cuilibet indifferenter adminiſtrandam docebunt, nullo judicis aut Principis metu. Ut taceam, ſuffragia, quæ ſcripto comprehendi debebunt, diligentiùs elaborata videri, nihilque prætermittere, eò quod illis conſignandis etiam plus temporis permittatur.

2. Conſentientem habemus Mecænatem, Auguſti Imperatoris Conſiliarium optimum, apud *Dionem l. 52.* ubi Auguſto

perſuadet; In cauſis gravioribus, ſententias palam ne roget, ne amicis ſuis faventes parum liberè, quid ſentiant, pronuncient; ſed in tabellis eas ſcriptas ad ſe ſolum; ne cui alii, innoteſcant, perferri jubeat, lectas verò ſtatim deleat.

3. Debet autem hoc fieri in iis cauſis, quæ *moram* aliquam, & juſtam aliquam temporis conſiderationem & deliberationem admittunt. Ubi verò in aliquibus in mora periculum, quin voce actutum votum proferatur, nullum video dubium. *Vid. Joh. Brantius JCtus de Senatore l.1. c. 18. pag. m. 58. 59. item l. 2. c. 18. pag. 182. Beſoldus de Conſilio Politico, c. 15. n. 37. pag. 257. 258. Lipſ. l. 3. Pol. c. 8. n. 12. in not.* Nihil tamen his conſuetudini locorum præſcriptum eſſe cupimus.

4. Eandem ſententiam nobiſcum olim quoque fovit Hippodamus Mileſius, quem *Ariſtoteles 2. Polit. c. 6. (alias 8.)* opinione nonnullorum ambitioſum, ac vitâ curioſum vocat, ex capillorum prolixitate, & ſumptuoſo veſtis ornatu, honeſtè quide, ſed calide, non hyeme tantum, verum & æſtivis temporibus. Quæ ſint noſtra tempora, ut exponantur neceſſe non eſt, cum ipſo ſole meridiano clariora; & omnibus maximè manifeſta ſint. Hic Hippodamus, Judicia in tribunalibus, ſive foris, putabat fieri

fieri debere, non calculis, ſed tabellam quemque afferre, in eaque ſententiam inſcriptam habere debere. *Vid. Piccartus in 2. Polit. c. 8. pag. mihi* 242. ubi adducit Venetorum morem in ferendis ſuffragiis, adhuc hodie vigentem. *Caſus Sphæra Civit. pag. mihi.* 125. Plura de hac rę videantur apud *Roſinum l. 8. Antiquit. Rom. c. 3. & l. 6. c. 7. & 14. Reinhard. König in Theatr. Polit. part. 2. c. 28. n. 12. & 13. Timpler. l. 4. Polit. c. 6. q. 25. pag. mihi.* 413. *Chockier in tr. de Legato, c. 28. pag. mihi. 65.*

Quæstio IX.

An Conſiliarius ſit removendus, quòd populo & ſubditis ſit exoſus?

§. I.

CUm Conſiliarius à Principe eligi debeat, ut non tam ſibi & ſui gratia, quàm Populi reſpectu, atque ſic totius Reipublicæ ergo, ſalutaria ſuppeditet conſilia; debebit ſanè haberi ratio quoque ſubditorum, ut nimirum illis quoque gratus ſit & acceptus. Quòd ſi verò Conſiliarius probis moribus eſt præditus, & de Republica bene meritus: ſubditi tamen, qui non ſemper, imò rarò intelligunt ea, quæ ab aliquo bono viro in Rempubl. conferuntur beneficia, eſt enim judicii expers *Tacit. l. 1. Hiſtor. c. 32. n. 2.* vulgus, inſtabile, natura invidum, *Tacit.*

l. 2.

l. 2. *Hiſtor.* c. 20. *n.* 4. ſuſpicax, *Tacit. l.* 2. *Hiſtor. c.* 21. *n.* 3. fatali tamen odio populo exoſus (ſæpè enim accidit, ut optimos quosque inſana plebs odio proſequatur, & furore quaſi quodam in ipſum principem inſurgat) non videtur ex re Principis eſſe, talem conſiliarium, invito populo, retinere: Quia niſi tales ab officio deponat, grande periculum ſit metuendum.

2. Debebit ne hoc in caſu Princeps populo morem gerere, & conſiliarium plebi reddere, ut ſuo pro arbitrio eum tractet? Videtur utique tempori inſerviendum eſſe, exemplo *Darii*, qui cum *Danieli*, conſiliario ſuo poteſtatem feciſſet, tum probandi Bel, tum Idolum Draconis Babylonici deſtruendi, quod falſi Dii fuerint deprehenſi, iiq; à Daniele ipſo facto quoque deſtructi: Quod cum audiviſſent Babylonii, indignati ſunt vehementer: & congregati adverſum Regem, dixerunt: Judæus factus eſt Rex: Bel deſtruxit, Draconem interfecit, & ſacerdotes occidit. Et dixerunt, cum veniſſent ad Regem: Trade nobis Danielem, alioquin interficiemus Te & domum tuam. Vidit ergo Rex, quod irruerent in eum vehementer, & neceſſitate compulſus, tradidit eis Danielem, qui miſerunt eum in locum leonum. *Daniel. cap.* 14, 27. Nec forſan ſine ratione hoc factum, cum videret, præſtare

unum,

unum, quàm totam Rempubl. diſſidiis civilibus peti. In quo forſan bonum nauclerum imitatus, qui curſum ſuum aliorſum dirigit, ſi portum rectà petere non poteſt: Vel mercatorem in magno tempeſtatis periculo conſtitutum, cum videat, utrumque ſalvari non poſſe, ſe ſcil. & merces: merces in mare projicit, ut ſe ſalvum præſtet.

3. Quod ſi igitur Princeps Rempublicam ſuam aliter ſalvam reddere & conſervare nequeat, niſi huic neceſſitati pareat; non tamen populi ludibrio Conſiliarium bonum, & citra juſtam cauſſam eidem exoſum, exponet, ſed vitæ ejus cavebit: ne tamen populus ad majorem excitetur furorem, cum gratiâ à ſe dimittat in gratiam populi: clam tamen & privatim ſuo favore & benignitate proſequatur, etiam dimiſſum, & alii forſan principi, aut Civitati inſervientem. *Vid. Velſten. in Quæſt. Pol. Decad. 9. q. 7. Nobiliſſ. Dn. Joh. Hieronym.* Im Hoff. *in Singularibus Polit. part. 3. cap. 9.*

Quæ-

Quæstio X.

An Conſiliarius in Senatum venire debeat, cùm ſcit aliquid tractatum iri, cui ſalvâ conſcientiâ aſſentiri nequit?

§. I.

Cum Conſiliarius debeat pro medio habere veritatem: cur metuet ſibi, ſi quid proponendum, cui ſalvâ quidem conſcientia aſſentiri non poſſit, contrarium ſtatuere, & quod veritatis ac honeſtatis eſt, aſſerere? Adſit, adſit Juſtitiæ & veritatis infucatæ tuendæ cauſa, *argt. Epiſt. ad Epheſ. c.* 4. *verſ.* 1. *&* 25. & cum proximo ſuo amico & placido vultu colloquatur.

Etiamſi fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

Hinc nullos labores, nullas moleſtias, odia nullius aut iras timeat, ſed intrepidè conſeſſum vocatus adeat, & pro veritate ac juſtitia, quanquam alii repugnant fortiter, pugnet. Conſilium nullũ fugiat, etiam quando tractantur illa, quæ contra propriã ſunt conſcientiam, ex ea cauſa non prætendat morbum, nullum iter ſimulet: Officii ſui recordetur; cætera omnia Deo committat. *Vid. Velſten. l. c. q.* 8. *Libenthal. l. d. q.* 6. *Gerhard. l. c. q.* 5. *Vernulæus l.* 2. *q.* 10. *Reinhard. König. Theatr.*

Theatr. Polit. pt. 2. cap. 35. Beſold. l. 2. Polit. c. 3. n. 48. pag. mihi 657.

Quæstio. XI.

An Sacerdotes debeant conſuli in rebus gravioribus Politicis?

§. I.

Qui affirmant, nituntur ſequentibus rationibus: 1. quia omnes noſtræ actiones ex conſcientia bona procedere debent, & in omnibus ſcrupuloſa cura adhibenda, ne lædatur Conſcientia. E. etiam Theologi, ceu medici conſcientiæ, qui nobis legem divinam (quæ omnium conſiliorum gubernaculum, *ſecundum Cypr.*) explicent, non repudiandi. 2. Reſpublica Judaica per aliquot ſecula feliciſſimè gubernata ex ſolis principiis ſacris, vel ex S. Scriptura; quæ proinde Regibus ceu cynoſura regiminis in manus tradita, 2. *Reg.* 11, 2. *Paralipp.* 23, 11. ſecundum præceptum Domini, *Deuter.* 17, 18. ut eſſet Regis conſiliarius *Pſ.* 119. 24. qui ſalutaria conſilia ad gubernandas Reſpublicas ſuppeditet, & ad cujus normam omnia reliquorum Politicorum ſuffragia examinentur. Hâc arte David, Joſaphat, Hiskias, &c. Regnum collapſum reſtaurarunt. *Joſaphat*, 1. *Reg.* 22, 7. prophetam quærit de bello, re politica: contra Joſua lapſus eſt in fœdere cum Gibeonitis ſanciendo, quod

itidem

itidem res Politica, quia os Domini non conſuluit, *Joſ. c. 9, 14.*

2. Illi qui negant, non ſolum credunt, facilè ad hæc argumenta reſponderi poſſe, ſed etiam haud contemnendas rationes pro ſua opinione in medium adducunt. 1. in genere notum eſſe, ajunt, Militantem DEO, ſecularibus ſeſe negotiis non debere implicare, 2. *Timoth.* 2, 4. *Can.* 3. *Cauſ.* 21. *q.* 3. addatur *can.* 5. *&* 7. *Cauſ.* 12. *q.* 1. Debet ſcil. religioni ſuæ vacare, ſuæque diſciplinæ ſatagere, non de ſecularibus inquirere. Abſurdum enim eſt, ſi promiſcuis actibus rerum turbentur officia & nomina: Imò opprobrium Religioſis eſt, ſi ſe peritos velint eſſe diſceptationum forenſium, vel variis & promiſcuis actibus ingerere, *l.* 23. *C. de Teſtam.* Culpa enim eſt immiſcere ſe rei ad ſe non pertinenti *l.* 36. *ff. de Reg. Jur.*

3. Ex hâc cauſa Clericus feudis ſe implicare nequit, *Zaſ. de Feud. part.* 5. 11. 72. nec judex in ſecularibus eſſe, *Gl. in l.* 12. *ff. de Judic.* nec Procuratoris officio fungi, *Gl. in l.* 54. *ff. de Procur.* nec fidejuſſor accipi, ob conveniendi difficultatem, *Gl. in l.* 54. *ff. Qui ſatisdar. cog.* tabellionis, ſive notarii vices gerere, *cap.* 8. *extr. Ne Cleric. vel Monach.* nec ullam negociationem, quantumvis honeſtam, exercere: multò minus cauponas tabernarias, quas ne intrare ei licet, *c.* 15. *extr.*

de

de Vit. & Honeſtat. Cleric. can. 9. Diſtinct. 88. Cum in tabernis multa vilia factis & verbis committantur, & à perſonis vilibus eæ frequentari ſoleant, quarum converſatione boni mores corrumpuntur. *Vid. quæ docui part. 4. de Vrbe*, §. 7. *pag.* 184. Et hanc ſententiam prolixè expoſitam & aſſertam *vid. ap. Joh. Verſmannum in tract. ſuo de Senatoribus* §. XI. *pag. mihi* 8. *& aliquot ſeqq.*

4. Ad rationes §. 1. adductas, reſpondendum eſſe contendunt, in 1. nullam eſſe conſequentiam: non enim ſequitur, omnes actiones noſtræ debent eſſe ex bona conſcientia, E. in conſiliis adhibendi ſunt Sacerdotes, tanquam conſcientiarum Medici. Quaſi Conſiliarius & Magiſtratus, utpote Chriſtianus, ipſe ex Scripturis non poſſet cognoſcere, quæ ſalvâ conſcientia fieri aut non fieri poſſint, cum Scriptura non ſolum Sacerdotibus, ſed omnibus hominibus vitam æternam appetentibus legenda ſit propoſita & injuncta. *Vid. quæ à nobis ſunt adducta in diſp. de Demagogis*, §. 24. Adde ea, quæ habet *Nicolaus Myler, in tractat. de Princip. & Statib. Imperii, c. 9. pag. mihi* 66 67.

Ad alteram reſpondent, quosdam Reges & Principes conſilia ſua petiiſſe ex ſacro Codice: item Rempublicam Judaicam per aliquot ſecula fuiſſe adminiſtratam ex ſolis Scripturis; nec non de rebus politicis ali-

quandoReges Prophetas conſuluiſſe: nō inde fuiſſe, quod tum temporis Sacerdotes & Clerici neceſſariò debuerint in Conſilium actionum adhiberi, ſed quod in Sacro Codice etiam continerentur, & præſcriberentur ea, quæ non ſolum ad cultum divinum faciebant, ſed quæ ad Reipublicæ adminiſtrationem ſpectabant: erat enim non ſolum in Codice Sacro Lex *Moralis* & *Ceremonialis*, ſed etiam *Judicialis & Forenſis*: juxta quam judicialem legem Reſpublica gubernari debebat. Quid? ſi tandem diceretur, in Republ. Judaica ſpeciale quid fuiſſe quoad Prophetas & Sacerdotes: hodiè verò omnia penè immutata eſſe, ut inde ab illorum more ad noſtra tempora argumentari amplius non liceat.

5. Nec eſt ut dicas: hoc ſolum ſequi, *non inconveniens eſſe, aut illicitum,* ſi ad conſilia adhibeantur civilia Clerici. Etenim, ſi ultrò in caſu quodam adhibeantur & vocentur à Magiſtratu Civili, ut in unum conſilia ſua ferant, à Magiſtratu peccari, non dicimus: verum hoc ordinariè fieri debere, hoc eſt, quod negamus.

6. Videntur autem hæc admittere aliquam limitationem & reſtrictionem: cum tacitè receſſum videatur ab axiomate, quod Clericus negotiis temporalibus ſe immiſcere non debeat: quod in jure Canonico, ma-

xime

ximè verò *lib. 2. Decretalium*, additis inſuper *Conſtitutionibus in Sexto, Clementinis & Extravagantibus*, proceſſus juris ordine exponatur; quarum ſanctionum Clerici ignari eſſe nec poſſunt, nec debent; ita ut in Civilibus, ſic inter Clericos valeat illud: nemini permiſſum eſſe, Leges ignorare, *l. 9. C. de Legib.* Quod itaque licitè diſcimus, quid vetat, licitè etiam ad uſum transferre, *arg. can. XI. cauſ. 14. q. 4?* Atqui jure ſuo Clerici poſſident proceſſus ſcientiam. Ergo etiam, uti ſcire debent, ita quoque eâ reipſa uti. Quapropter regula dicta non procedet, ut Clerici à ſecularibus abſtineant, ſi ſc. officii ratione huc compellantur: Sic Epiſcopi non poſſunt abſtinere. Clericus in Senatorem ſive Conſiliarium adoptatus, abſtinere non poteſt foro & rebus temporalibus, excepto, ſanguinis judicio *c. 5. extr. Ne Clerici vel Monachi. Vid. Anton. Winther in tract. de Aſſeſſor. part. 1. c. 6. pag. 136. 137. item Libenthal Exercit. 6. q. 6. Polit.*

Concludamus totam hanc de Conſiliariis Diſſertationem verbis *Ambroſii, l. 2. de Off. c. 22. de malis Conſiliariis.* Quis in cœno fontē requirat? Quis è turbidâ aqua potum petat? Itaque ubi luxuria eſt, ubi intemperantia, ubi vitiorum confuſio, quis inde ſibi aliquid

perſuadet; In cauſis gravioribus, ſententias palam ne roget, ne amicis ſuis faventes parum liberè, quid ſentiant, pronuncient; ſed in tabellis eas ſcriptas ad ſe ſolum; ne cui alii innoteſcant, perferri jubeat, lectas verò ſtatim deleat.

3. Debet autem hoc fieri in iis cauſis, quæ *moram* aliquam, & juſtam aliquam temporis conſiderationem & deliberationem admittunt. Ubi verò in aliquibus in mora periculum, quin voce actutum votum proferatur, nullum video dubium. *Vid. Joh. Brantius* JCtus *de Senatore l.*1. *c.* 18. *pag. m.* 58. 59. *item l.*2. *c.*18. *pag.* 182. *Beſoldus de Conſilio Politico*, *c.*15. *n.* 37. *pag.*257. 258. *Lipſ. l.*3. *Pol. c.* 8. *n.*12. *in not.* Nihil tamen his conſuetudini locorum præſcriptum eſſe cupimus.

4. Eandem ſententiam nobiſcum olim quoque fovit Hippodamus Mileſius, quem *Ariſtoteles* 2. *Polit. c.* 6. (*alias* 8.) opinione nonnullorum ambitioſum, ac vitâ curioſum vocat, ex capillorum prolixitate, & ſumptuoſo veſtis ornatu, honeſtè quide, ſed calide, non hyeme tantum, verum & æſtivis temporibus. Quæ ſint noſtra tempora, ut exponantur neceſſe non eſt, cum ipſo ſole meridiano clariora; & omnibus maximè manifeſta ſint. Hic Hippodamus, Judicia in tribunalibus, ſive foris, putabat fieri

fieri debere, non calculis, ſed tabellam quemque afferre, in eaque ſententiam inſcriptam habere debere. *Vid. Piccartus in 2. Polit. c. 8. pag. mihi* 242. ubi adducit Venetorum morem in ferendis ſuffragiis, adhuc hodie vigentem. *Caſus Sphæra Civit. pag. mihi.* 125. Plura de hac rę videantur apud *Roſinum l. 8. Antiquit. Rom. c. 3. & l. 6. c. 7. & 14. Reinhard. König in Theatr. Polit. part. 2. c. 28. n. 12. & 13. Timpler. l. 4. Polit. c. 6. q. 25. pag. mihi. 413. Chockier in tr. de Legato, c. 28. pag. mihi. 65.*

Quæstio IX.

An Conſiliarius ſit removendus, quòd populo & ſubditis ſit exoſus?

§. I.

CUm Conſiliarius à Principe eligi debeat, ut non tam ſibi & ſui gratia, quàm Populi reſpectu, atque ſic totius Reipublicæ ergo, ſalutaria ſuppeditet conſilia; debebit ſanè haberi ratio quoque ſubditorum, ut nimirum illis quoque gratus ſit & acceptus. Quòd ſi verò Conſiliarius probis moribus eſt præditus, & de Republica bene meritus: ſubditi tamen, qui non ſemper, imò raro intelligunt ea, quæ ab aliquo bono viro in Rempubl. conferuntur beneficia, eſt enim judicii expers *Tacit. l. 1. Hiſtor. c. 32. n. 2.* vulgus, inſtabile, natura invidum, *Tacit. l. 2.*

l. 2. *Hiſtor.* ſ. 20. *n.* 4. ſuſpicax, *Tacit. l.* 2. *Hiſtor. c.* 21. *n.* 3. fatali tamen odio populo exoſus (ſæpè enim accidit, ut optimos quosque inſana plebs odio proſequatur, & furore quaſi quodam in ipſum principem inſurgat) non videtur ex re Principis eſſe, talem conſiliarium, invito populo, retinere: Quia niſi tales ab officio deponat, grande periculum ſit metuendum.

2. Debebit ne hoc in caſu Princeps populo morem gerere, & conſiliarium plebi reddere, ut ſuo pro arbitrio eum tractet? Videtur utique tempori inſerviendum eſſe, exemplo *Darii*, qui cum *Danieli*, conſiliario ſuo poteſtatem feciſſet, tum proband Bel, tum Idolum Draconis Babylonici deſtruendi, quod falſi Dii fuerint deprehenſi, iiq; à Daniele ipſo facto quoque deſtructi: Quod cum audiviſſent Babylonii, indignati ſunt vehementer: & congregati adverſum Regem, dixerunt: Judæus factus eſt Rex: Bel deſtruxit, Draconem interfecit, & ſacerdotes occidit. Et dixerunt, cum veniſſent ad Regem: Trade nobis Danielem, alioquin interficiemus Te & domum tuam. Vidit ergo Rex, quod irruerent in eum vehementer, & neceſſitate compulſus, tradidit eis Danielem, qui miſerunt eum in locum leonum. *Daniel. cap.* 14, 27. Nec forſan ſine ratione hoc factum, cum videret, præſtare

unum,

unum, quàm totam Rempubl. diſſidiis civilibus peti. In quo forſan bonum nauclerum imitatus, qui curſum ſuum alíorſum dirigit, ſi portum rectà petere non poteſt: Vel mercatorem in magno tempeſtatis periculo conſtitutum, cum videat, utrumque ſalvari non poſſe, ſe ſcil. & merces: merces in mare projicit, ut ſe ſalvum præſtet.

3. Quod ſi igitur Princeps Rempublicam ſuam aliter ſalvam reddere & conſervare nequeat, niſi huic neceſſitati pareat; non tamen populi ludibrio Conſiliarium bonum,&citra juſtam cauſſam eidem exoſum, exponet, ſed vitæ ejus cavebit: ne tamen populus ad majorem excitetur furorem, cum gratiâ à ſe dimittat in gratiam populi: clam tamen & privatim ſuo favore & benignitate proſequatur, etiam dimiſſum, & alii forſan principi, aut Civitati inſervientem. *Vid. Velſten. in Quæſt. Pol. Decad. 9. q. 7. Nobiliſſ. Dn. Joh. Hieronym.* Im Hoff. *in Singularibus Polit. part. 3. cap. 9.*

Quæ-

Quæstio X.

An Conſiliarius in Senatum venire debeat, cùm ſcit aliquid tractatum iri, cui ſalvâ conſcientiâ aſſentiri nequit?

§. I.

CUm Conſiliarius debeat pro medio habere veritatem: cur metuet ſibi, ſi quid proponendum, cui ſalvâ quidem conſcientia aſſentiri non poſſit, contrarium ſtatuere, & quod veritatis ac honeſtatis eſt, aſſerere? Adſit, adſit Juſtitiæ & veritatis infucatæ tuendæ cauſa, *argt. Epiſt. ad Epheſ. c. 4. verſ. 1. & 25.* & cum proximo ſuo amico & placido vultu colloquatur.

Etiamſi fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

Hinc nullos labores, nullas moleſtias, odia nullius aut iras timeat, ſed intrepidè conſeſſum vocatus adeat, & pro veritate ac juſtitia, quanquam alii repugnant fortiter, pugnet. Conſilium nullũ fugiat, etiam quando tractantur illa, quæ contra propriã ſunt conſcientiam, ex ea cauſa non prætendat morbum, nullum iter ſimulet: Officii ſui recordetur; cætera omnia Deo committat. *Vid. Velſten. l. c. q. 8. Libenthal. l. d. q. 6. Gerhard. l. c. q. 5. Vernulæus l. 2. q. 10. Reinhard. König. Theatr.*

Theatr. Polit. pt. 2. cap. 35. Beſold. l. 2. Polit. c. 3. n. 48. pag. mihi 657.

Quæstio. XI.

An Sacerdotes debeant conſuli in rebus gravioribus Politicis?

§. I.

Qui affirmant, nituntur ſequentibus rationibus: 1. quia omnes noſtræ actiones ex conſcientia bona procedere debent, & in omnibus ſcrupuloſa cura adhibenda, ne lædatur Conſcientia. E. etiam Theologi, ceu medici conſcientiæ, qui nobis legem divinam (quæ omnium conſiliorum gubernaculum, *ſecundum Cypr.*) explicent, non repudiandi. 2. Reſpublica Judaica per aliquot ſecula feliciſſimè gubernata ex ſolis principiis ſacris, vel ex S. Scriptura; quæ proinde Regibus ceu cynoſura regiminis in manus tradita, 2. *Reg.* 11, 2. *Paralipp.* 23, 11. ſecundum præceptum Domini, *Deuter.* 17, 18. ut eſſet Regis conſiliarius *Pſ.* 119. 24. qui ſalutaria conſilia ad gubernandas Reſpublicas ſuppeditet, & ad cujus normam omnia reliquorum Politicorum ſuffragia examinentur. Hâc arte David, Joſaphat, Hiskias, &c. Regnum collapſum reſtaurarunt. *Joſaphat*, 1. *Reg.* 22, 7. prophetam quærit de bello, re politica: contra Joſua lapſus eſt in fœdere cum Gibeonitis ſanciendo, quod itidem

itidem res Politica, quia os Domini non conſuluit, *Joſ. c. 9, 14.*

2. Illi qui negant, non ſolum credunt, facilè ad hæc argumenta reſponderi poſſe, ſed etiam haud contemnendas rationes pro ſua opinione in medium adducunt. 1. in genere notum eſſe, ajunt, Militantem Deo, ſecularibus ſeſe negotiis non debere implicare, *2. Timoth. 2, 4. Can. 3. Cauſ. 21. q. 3.* addatur *can. 5. & 7. Cauſ. 12. q. 1.* Debet ſcil. religioni ſuæ vacare, ſuæque diſciplinæ ſatagere, non de ſecularibus inquirere. Abſurdum enim eſt, ſi promiſcuis actibus rerum turbentur officia & nomina: Imò opprobrium Religioſis eſt, ſi ſe peritos velint eſſe diſceptationum forenſium, vel variis & promiſcuis actibus ingerere, *l. 23. C. de Teſtam.* Culpa enim eſt immiſcere ſe rei ad ſe non pertinenti *l. 36. ff. de Reg. Jur.*

3. Ex hâc cauſa Clericus feudis ſe implicare nequit, *Zaſ. de Feud. part. 5. 11. 72.* nec judex in ſecularibus eſſe, *Gl. in l. 12. ff. de Judic.* nec Procuratoris officio fungi, *Gl. in l. 54. ff. de Procur.* nec fidejuſſor accipi, ob conveniendi difficultatem, *Gl. in l. 54. ff. Qui ſatisdar. cog.* tabellionis, ſive notarii vices gerere, *cap. 8. extr. Ne Cleric. vel Monach.* nec ullam negociationem, quantumvis honeſtam, exercere: multò minus cauponas tabernarias, quas ne intrare ei licet, *c. 15. extr.*

de

de Vit. & Honeſtat. Cleric. can. 9. Diſtinct. 88. Cum in tabernis multa vilia factis & verbis committantur, & à perſonis vilibus eæ frequentari ſoleant, quarum converſatione boni mores corrumpuntur. *Vid. quæ docui part. 4. de Vrbe, §. 7. pag. 184.* Et hanc ſententiam prolixè expoſitam & aſſertam *vid. ap. Joh. Verſmannum in tract. ſuo de Senatoribus §. XI. pag. mihi 8. & aliquot ſeqq.*

4. Ad rationes §. 1. adductas, reſpondendum eſſe contendunt, in 1. nullam eſſe conſequentiam: non enim ſequitur, omnes actiones noſtræ debent eſſe ex bona conſcientia, E. in conſiliis adhibendi ſunt Sacerdotes, tanquam conſcientiarum Medici. Quaſi Conſiliarius & Magiſtratus, utpote Chriſtianus, ipſe ex Scripturis non poſſet cognoſcere, quæ ſalvâ conſcientia fieri aut non fieri poſſint, cum Scriptura non ſolum Sacerdotibus, ſed omnibus hominibus vitam æternam appetentibus legenda ſit propoſita & injuncta. *Vid. quæ à nobis ſunt adducta in diſp. de Demagogis, §. 24.* Adde ea, quæ habet *Nicolaus Myler, in tractat. de Princip. & Statib. Imperii, c. 9. pag. mihi 66 67.*

Ad alteram reſpondent, quoſdam Reges & Principes conſilia ſua petiiſſe ex ſacro Codice: item Rempublicam Judaicam per aliquot ſecula fuiſſe adminiſtratam ex ſolis Scripturis; nec non de rebus politicis ali-

ximè verò *lib. 2. Decretalium*, additis inſuper *Conſtitutionibus in Sexto, Clementinis & Extravagantibus*, proceſſus juris ordine exponatur; quarum ſanctionum Clerici ignari eſſe nec poſſunt, nec debent; ita ut in Civilibus, ſic inter Clericos valeat illud: nemini permiſſum eſſe, Leges ignorare; *l. 9. C. de Legib.* Quod itaque licitè diſcimus, quid vetat, licitè etiam ad uſum transferre, *arg. can. XI. cauſ. 14. q. 4?* Atqui jure ſuo Clerici poſſident proceſſus ſcientiam. Ergo etiam, uti ſcire debent, ita quoque eâ reipſa uti. Quapropter regula dicta non procedet, ut Clerici à ſecularibus abſtineant, ſi ſc. officii ratione huc compellantur: Sic Epiſcopi non poſſunt abſtinere. Clericus in Senatorem ſive Conſiliarium adoptatus, abſtinere non poteſt foro & rebus temporalibus, excepto, ſanguinis judicio *c. 5. extr. Ne Clerici vel Monachi. Vid. Anton. Winther in tract. de Aſſeſſor. part. 1. c. 6. pag. 136. 137. item Libenthal Exercit. 6. q. 6. Polit.*

Concludamus totam hanc de Conſiliariis Diſſertationem verbis *Ambroſii, l. 2. de Off. c. 22. de malis Conſiliariis.* Quis in cœno fontē requirat? Quis è turbidâ aqua potum petat? Itaque ubi luxuria eſt, ubi intemperantia, ubi vitiorum confuſio, quis inde ſibi aliquid

hauriendum exiſtimet? Quis non deſpicia morum colluvionem? Quis utilem cauſa alienæ judicet, quem videt inutilem vitæ ſuæ? Quis iterum improbum, malevolum, contumelioſum non fugiat, & ad nocendum paratum? Quis non eum omni ſtudio declinet? Quis verò, quamvis inſtructum ad conſilii opem, difficilem tamen acceſſu, ambiat, in quo ſit illud, tanquam ſi quis aquæ fontem præcludat? Quid enim prodeſt habere ſapientiam, ſi conſilium neges? Si conſulendi intercludas copiam, clauſiſti fontem, ut nec aliis influat, nec tibi proſit. Pulchrè autem, & de illo convenit, qui habens prudentiam commaculat eam vitiorum ſordibus, eò quod aquæ exitum contaminet. Degeneres animos vita arguit. Quomodo enim eum potes judicare conſilio ſuperiorem, quem vides inferiorem moribus? *Supra me debet eſſe, cui me committere paro. An verò idoneum eum putabo, qui mihi dat conſilium, quod non dat ſibi?* Mihi eum vacare credam, qui ſibi non vacet, cujus animum voluptates occupent, libido devinciat, avaritia ſubjuget, cupiditas perturbet, quatiat metus, amor & odia excœcent, ambitio animum enecet? Quomodo hic conſilii locus, ubi nullus quieti? *Hæc Ambroſius.*

FINIS.

Σὺν

Σὺν θεῷ τελαγίῳ!

BREVIS COMMENTATIO DE SENATORIBUS.

§. I.

REmpublicam Totum aliquod eſſe per aggregationem, conſtans ex partibus heterogeneis, notius eſt, quàm ut probari debeat. Ne tamen omnem omittamus probationem, audiamus *Ariſtotelem* 1. *Polit*. *c*. 1. ita differentem: *Quemadmodum in aliis rem compoſitam ad ſimplices usq; partes dividere oportet (eæ namq; Totius ſunt minimæ) ita & Civitatem, ex quibus componatur videntes, conſiderabimus.* Quoniam verò ille, qui totum exactè cognoſcere cupit, meliorem & compendioſiorem viam ingredi non poteſt, quam ſi partes totius iſtius omnes ſeorſim conſideret, & contempletur, quia totum eſt nihil aliud quam omnes partes conjunctim ſumptæ: Ita quoque, qui naturam Reipublicæ alicujus vult cognoſcere, eat per ſingulas iſtius partes, & ſic ſibi iſtius totius ſufficientem acquiret cognitionem. Ex qua cognitione poſt eò felicius non tantum Rempublicam inſtituere, inſtitutam initio rectè, ſed poſt inclinatā mutare & corrigere, atq; deniq; de omni optimè judicare poteſt.

Reſpublica eſt quid totum.

quod optime per, & in ſuis partibus cognoſcitur.

Partes Reipublicæ.

2. Reſolvamus autem Rempublicam initio in *Parentes* & *Imperantes*: quorum illi dicuntur *ſubditi*; hi verò *Magiſtratus*. Poſſet quidem aliter quoque reſolvi, nimirum ſi Civitatem ſecaremus in *Vicos*&*pagos*; Vicos in *Familias* & *domos*, domos in primas ſimplices Societates, nimirum in γαμικὴν, πατρικὴν, & δεσποτικήν. Verum quoniam hoc alibi à nobis factum eſt, nec animus jam de omnibus Civitatis ſive Reipublicæ partibus agere, ſed tantum de aliquibus in ordine ad Imperantes, & quidem de iis, quibus benè affectis, ut loquitur *Philoſophus* 4. *Polit. c.* 14. Rempublicam benè affectam eſſe, neceſſe eſt: Item ex quarum differentia inter ſe, respublicæ quoque differunt, ut iterum *inquit Philoſophus l. c.* Nimirum de *Senatu*, *Magiſtratu*, & de *Judicibus*.

Quales partes, tale totum.

3. Rectè autem ait Philoſophus: his benè affectis, rempublicam ipſam quoque benè affectam eſſe. Qualis enim Rex, talis grex: id quod *Claudianus* ita explicat:

——— Totus componitur orbis
Regis ad exemplum, nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, quam vita regentis.
Mobile mutatur ſemper cū Principe vulgus.

Cui Sacra quoque Scriptura calculum addit, *Eccleſiaſtici cap.*10. *v.*2. & 3. Secundum judicem populi, ſic & miniſtri ejus: & qualis Rector eſt Civitatis, tales & inhabitantes in

ca. Rex inſipiens perdet populum ſuum. *Hæc Eccleſiaſticus.*

4. Nec errat Philoſophus, quando dicit: Ex harum partium differentia & varietate, differre quoque & variari Respublicas. Si enim hæc omnia, partium harum officia & poteſtates ſunt penes omnes, futura eſt Democratia: ſi verò paucis divitibus committantur, oritur Oligarchia. Ex qua cauſa, Legislator in conſtituenda Republica accuratè partes has obſervare debet, quia pro populi diverſo ingenio, ac alia atque alia natura, hæ partes ſe habere debent. Si enim ex diverſa harum partium conſtitutione diverſæ Rerumpublicarum formæ oriuntur, uti dictum: & non quævis forma cuivis populo ſit conveniens, *3. Polit. cap. ult.* etiam hæ partes indifferenter cuivis populo non convenient, ſed pro diverſis diverſimodè conſtituendæ erunt.

5. Quoniam verò Ariſtoteles l. c. inter tres has partes, principem facit *Senatum*: etiam de eo primo loco agamus: & quidem unde derivetur, initio conſideremus: ſiquidem ſæpè ex Etymologia in vocis ſignificationem rectius deſcendimus, cumprimis in illis vocabulis, in quibus etymologia & definitio nominis coincidunt. Aliàs notum eſt, multum inter ſe differre etymologiam, & nominis definitionem: quandoquidem defi-

Senatus etymologia

Etymologia nominis & definitio nominis non ſunt ubiq; idem.

definitio nominis debet explicare, quid nomen ſignificet; Verum etymologia ſæpè aliud eſt ab eo, quod nomen ſignificat, uti rectè docet *Thomas p. 1. q. 3. a. 2.* Hinc errat *Du-Trieu, in Manuductione ſua ad Log. tract. 2. part. 2. c. 1. art. 1.* quando docet, ad Definitionem nominis revocari Etymologias: idque exemplo conſulis probare vult: Conſul eſt, quia conſulit patriæ; Ubi tamen ſignificatum nominis, *Conſul*, non eſt, is qui conſulit patriæ: aliàs & Senatores, & conſiliarii Conſules eſſent. Quod autem Etymologia ſit quid aliud à definitione nominis, ſequenti exemplo conſtare poteſt: v. g. calculus derivatur à calcando, quod lædat calcantem, vel à calce, quod lædat calcem: hinc tamen non poteſt ſumi definitio hujus vocis, quod calculus ſignificet id, quod lædit calcantem. Eodem modo ſe res habet in voce *Lapis*, *Pedell.* quaſio læſio pedis, & pedibus Schnell: à quibus tamen derivationibus nulla nominis definitio ſumi poteſt.

Senatoris derivatio.

6. Quod vocabulum *Senatoris* attinet, ſunt qui deducunt *à Senectute*, ſive ſenio, eò quòd cura Reipublicæ ſolis demandari ſolebat ſenibus, *arg. l. 5. in princ. ff. de Jure Immunit. item l. 8. ff. de Munerib. & Honor.* Unde *Cicero lib. de Caton major. ſive Senectut. p. m. 544. ait*, apud Lacedæmonios ſenes appellari eos, qui ſummum quendam Magi-

ſtratum

ſtratum gerunt. Quæ acceptio nec apud nos inuſitata eſt, cumprimis *Norimbergæ*, ubi *Septemviri*, qui ſunt reliqui Senatus potiores & priores, vocantur noſtrâ vernacula, Die Herren Aeltern. Hæc derivatio licet communis ſit, non tamen univerſalis eſt; unde à Politicis diſputari cæpit, *An juveni Magiſtratus, aut Senatus officia publicè demandanda ſint?* Quod cum ab aliquibus cum diſtinctione licet, affirmatur, adſtipulante *Aurea Bulla tit.* 7. §. 2. quæ ad Electoratum Imperii admittit Juvenes octodecim annorum. Et Ariſtoteles diſtinguit *Juvenem ætate, à juvene moribus, lib.* 1. *Ethic. c.* 13. qua de re pluribus infra de requiſitis Senatoris. Alii hinc Senatorem derivari voluerunt, *à Sinendo*: quia Magiſtratibus non plus licebat, quam Senatus permitteret. Quo ipſo etiam aliqua differentia innuitur, inter Senatum & Magiſtratum, de qua infra.

An Juvenis poſſit eſſe Senator?

7. Etymologiâ ita conſideratâ, videnda quoque jam *Senatus*, aut *Senatoris* ſignificatio eſt. Et 1. quidem Senatus ſignificat locum, in quo ipſi Senatores conveniunt. *teſte Calvino in Lexico.* 2. Ipſos Senatores, qui in Senatum veniunt. *Vid. Gell. l.* 18. *c.* 7. Qui iterum accipiuntur dupliciter 1. *Late* pro omni illo, qui jus dicendi ſententiã in Senatu habebat, quomodo etiam ità latè definitur *l. ult. ff. de Senat.* ubi dicitur: *Senatores autem accipiendum eſt eos, qui à patriciis & conſulibus, usq;*

Senatus Homonymia.

ad omnes Illuſtres viros deſcendunt. quia & hi ſoli in Senatu ſententiam dicere poſſunt. *Vid. Tholoſſanus in Syntagmat.* Jur. *l.* 47. *tit.* 25. *n.* 4. In qua lege aliqua notanda ſunt: & 1. quidem, quod hæc Senatoris definitio propria non ſit, ſiquidem *Quæſtores* etiam jus dicendæ ſententiæ habuerunt. *l. un.* §. 3. *ff. de officio Quæſtoris.* Erant igitur Quæſtores hoc modo latiſſimè dicti Senatores. Item aliqui ſententiam dicere poterant in Senatu, qui tamen Senatores non erant. Etenim, qui honoribus functi erant & Magiſtratibus, in Senatum venire poterant, & dicebant quidem ſententiam, nec tamen erant Senatores. *Vid. Tholoſſanus l. proximè cit.* Hinc particula *Soli,* aut malè addita, aut de certo tempore accipienda. 2. *Guilielmus Budæus ad l. ult. de Senatorib.* dicit non legendum eſſe, *Conſulibus* ſed, *Conſularibus*, i. e. qui ab iis deſcendunt, qui aliquando conſulatum geſſerunt. 3. In verbis illis, *Accipiendum eſt eos*, notandus Græciſmus eſt; qualis quoque legitur *l.* 10. §. *fin. ff. de In jus vocando item l.* 12. §. 2. *ff. de Captiv. & poſtlim, reverſ. item l.* 19. *in f. ff. de Novationibus.* 4. Patriciatus hic non eſt intelligendus, primus & antiquus iſte, ſi quidem tempore Ulpiani differentia inter Patricios, Illuſtres, Spectabiles, & Clariſſimos nondum erat, ſed diſtingui demum cæperunt hi tituli ſub poſterioribus Imperatoribus, *Vid.*

Dicere ſententiã, non conſtituit Senatorem.

Patriciatus varius eſt.

l. X I.

l. X I. C. *de Dignitat.* Unus namque Ulpiani tempore; ut & Ciceronis ætate Senatorum titulus erat, nimirum *Clariſſimus.* Nec etiam poteſt accipi de Patriciatu noſtro, propterea quia ille tempore Ulpiani nondum fuit, ſed demum ſub *Henrico V.* notabiliter cæpit: quomodo itaque de illo potuit Ulpianus in hac lege loqui. *Vid. Bacchovius in πρώτοις h.t. pag. mihi.* 303. *Idem ibid. tit. de Modis, quibus Patr. Poteſt. tollitur p.* 258. *Item Eguinarius Baro, itidem in πρώτοις h.t. pag. mihi* 48 Hinc ſ. colligunt *Bacchovius l. c. & Baro l. d. item Weſenbecius in Paratitl. hîc*: hanc legem interpolatam eſſe, id quod optimè explicat, & ſuperiora, quæ à Bacchovio aliquo modo obſcurè ſunt propoſita, dilucidiora reddit, *Georgius Frantzkius in Commentar. ad Pandectas part.* 1. *tit. de Senatorib.* §. 14. 15. & 16. *pag. mihi* 79. & *ſeq.*

Titulus Clariſſimi qualis

8. *Strictè* accipitur Senator, quatenus Magiſtratui in ſpecie dicto, contradiſtinguitur: Senator enim à Magiſtratu ſeparandus eſt. Unde *Bacchovius in not. ad Weſenbec. παρατιτλ. de Senatorib. ait*, Errorem Politicum committi à Weſenbecio, quod Senatores faciat ſpeciem Magiſtratus; cum Magiſtratus forma ſpecifica ſit ab Imperio: quod nullum fuit in Senatore qua tali. Ex qua cauſa etiam *à Pomponio in l.* 2. *ff. de Orig. Jur.* inter Magiſtratus relati non ſunt: Senator enim propriè

Senator ſtrictè dictus.

Senator eſt nomen Ordinis. propriè nomen Ordinis eſt, non Magiſtratus. *Frantzkius* tamen in *Com. ad Pandectas*, aliquo modo excuſat, quando dicit, *quia tamen & præcipui Magiſtratus, ut Conſules, Prætores, ex Senatu legi ſoliti ſunt, & is poſtmodum etiam, præſertim ſub Auguſtis, cauſas & lites, tametſi ſaltem graviores, judicavit, judicesq; dedit l. 1. l. 10. ff. de Poſtuland. l. 2. ff. de Fluminib. l. 1. ff. à quibus appellari licet. Sueton. in Caligul. c. 53. & in Domitian. c. 8. & 11. ἐν πλάτει ſub nomine Magiſtratus rectè comprehenditur. Arniſæus in Doctr. Polit. l. 1. c. 14. pag. mihi.* 283. hoc invertit, dicitq; : E Magiſtratibus Senatum eſſe oportet, quia maximè conſulendum eſt Senatui de rebus Reipubl. quas nemo rectius cognoſcit, quam qui eas adminiſtravit. Idque vel propterea obſervari convenit, quod ex Magiſtratu cujusque virtus maximè cognoſcatur, utrum Senatorio ordine dignus ſit, Magiſtratus enim virum indicat, ait *Bias apud Ariſtotelem 5. Ethic. c. 1.* Et *Tacit. lib. 1. Hiſtor. c. 49. n. 6. de Galba*: Ab omnibus imperii capax judicatus fuiſſet, niſi imperaſſet.

Senatores Veteres qui? 9. Sciendum autem porrò eſt, Senatores aliter conſiderari de jure Veteri, aliter de Novo. Jure Veteri, Senatores propriè illi erant, qui in Senatum *ſolemniter erant lecti*, in ſe aliàs privati, & qui honores non gererent *l. 7. §. penult. ff. de Interdict. & Relegat.* ubi

ubi dicitur, aliquem poſſe eſſe Senatorem, & tamen honores non repetere. Unde qui jam populi honoribus uſi fuerant, & in Senatum veniendi, dicendæque ſententiæ jus haberent, ob id, quod lecti non eſſent, Senatores non erant: & ab his ſententiæ non rogabantur, ſed in illas, quas Principes dixerant, pedibus ibant. *Vid. Feneſtella l. 2. c. 1. de Magiſtratu.* Jure novo & ad mores Juſtiniani accomodato Senator eſt is, qui in honore eſt, & à Patriciis & Conſularibus usque ad viros illuſtres deſcendit, h. e. qui incipiendo à Patriciis, qui erant ſummi, Conſulibusque, & deſcendendo ad cæteros, qui illuſtrem majoremque aliquam dignitatem adeptus, in Senatu dicendæ ſententiæ jus obtinet *l. ult. ff. de Senatorib. Dicis*: De Jure Novo ita quidem Senatorem conſiderari; Verùm hanc conſiderationem non eſſe Senatoris ſtrictè accepti, uti declaravimus §. *ſupra* 7. ℞. Si hæc lex accipitur, ut debet etiam accipi, prout ab Imperatore Juſtiniano per Tribonianum lata eſt, non verò, ut falſo Ulpiano adſcribitur, qui tempore Alexandri Severi, quo vixit Ulpianus & Paulus JCti, hujusq; Imperatoris Conſiliarii: aut de illo Patriciatu, qui ſub Conſtantino Magno cœpit, benè hæc acceptio Senatoris ſtrictè dicti eſſe poteſt. *Dicis ulterius*: hæc explicatio locum habere non poteſt, quia *in d. l.* adhuc Patriciatus

Senator jure novo.

tus præfertur conſulibus & illuſtribus: cum tamen tempore Juſtiniani Conſulatus præ Patriciatu fuerit dignitas major, ut & Illuſtrisſimatus, quod tamen hic videtur non fieri, cum Patriciatus reliquis præponatur. ℞. In hac lege nulla fit Dignitatum ordinatio, ſed ſolum dicitur, quod tempore Juſtiniani omnes illi fuerint Senatores, qui deſcenderunt, ſive à Patriciis, ſive à Conſulibus, ſive ab Illuſtribus: omnes tamen hos fuiſſe relatos in ordinem Senatorum, eo quod jus habuerint dicendi ſententiam. An autem, vel Conſulatus, vel Patriciatus major fuerit dignitas, & quænam ſumma, *videatur apud Draconem in tract. de Orig. & Jure Patricior. pag.* 151. 152.

Definitio Senatoris & Senatus.

10. Verum enim verò, ſi velimus conceptum aliquem communem omnibus Senatoribus competentem abſtrahere, forſan ita definiendus erit: *Senator eſt perſona publica, legitimè ad id conſtituta, ut habeat poteſtatem deliberandi, conſentiendi & decernendi ea, quæ ad Rempublicam ſpectant.* Senatus verò ita: *Senatus eſt ſelectorum virorum legitima congregatio, ſive cœtus, qui, quomodo Reſpublica belli & pacis tempore adminiſtranda ſit, conſulit.* Dicitur *cœtus legitimus,* ſive *ſelectorum virorum legitima congregatio,* ut diſtinguatur à Cœtu virorum, contra ſuū Magiſtratum conſpirantium, qui licet conveniant

veniant &congregentur, non tamen eſt congregatio legitima, ſed illegitima colluſio. Dicitur præterea, *Virorum ſelectorum congregatio*, ut diſtinguatur â Senaculo mulierum matronarum, quod Senaculum permiſit Heliogabalus in colle Quirinali à mulieribus haberi: ubi ſtatuebant mulieres conventu ſolemni, quæ quo veſtitu incederent, quæ cui cederent, quæ pilento, quæ equo ſagmario, quæ aſino, veherentur, quæ carpento mulari, quæ boum, quæ ſella, eaque vel pellicea, vel oſſea, vel argentea, & quæ aurum & gemmas in calceamentis haberent, & alia de ſimilibus rebus ridicula faciebant Senatus conſulta. *Vid. Lamprid. in Heliagabalo.* Quamvis autem tandem hic Mulierum Senatus fuerit ſublatus, puto tamen hodie adhuc plures ſimiles multis in rebuspublicis dari: de quibus ipſa experientia teſtabitur. Imò ipſe *Ariſtoteles* apertè docet *l. 2. Polit. c. 7. (aliàs 9.)* quando inquit: *Quid intereſt, mulieres ne imperent, an Magiſtratus mulieribus pareant? idem namq; ſequitur.* *Senaculũ Mulierum*

11. Ratione differentiæ ſpecificæ, additur, quod Senatus iſte ſive Senatores *conſulant de eo, quomodo Respublica, belli & pacis tempore rectè adminiſtrari debeat*: ſive qui habent poteſtatem deliberandi, conſentiendi ac decernendi ea, & in ea quæ ad rempubli-

publicam ſpectant. *Vid. Hœnonius diſp. Polit. 4. th. 12. pag. 161.* Qua in differentia ſimul continetur diſcrimen Senatoris & Magiſtratus in ſpecie. Nam Magiſtratus ſemper eſt cum poteſtate, ſive imperio, ex lege à majeſtate conceſſo: in Senatu verò, ſi ipſum in ſe & formaliter ſpectes, uti ſpectari debet, nullum imperium, nulla juriſdictio locum habet, niſi aliud quoddam officium à majeſtate ipſi una committatur: quod poſtmodum per accidens eſt, & materialiter, ſive ſubjectivè conſideratur. Abſolute igitur Senatus tantum decernendi, & ſententiæ pronunciandæ jus habet, poteſtatem non habet, neque habere debet. Quia enim de rebus omnibus conſulit & decernit, plenam haberet majeſtatem, ſi cum conſilio conjuncta eſſet poteſtas, eſſetque omnis Reſpublica Ariſtocratica. *Vid. Jacob. Martini de Republic. pag.* 848. *Item Arniſæus in Doctr. Polit. l. 1. c. 14. pag.* 280. 281. *Azarias Sturzius in Præludiis rerum Politic. diſputat. 4. pag. mihi.* 111.

Differentia Senatus & Magiſtratus

12. Hic antequam ad alias differentiæ partes progrediar, videre prius placet, *Num Senatus, qua talis, vel habeat, vel habuerit poteſtatem h. e. juriſdictionem, ſive Imperium, aut jus ſanciendi legem?* Ut incipiamus de jure legem ſanciendi, videtur id probari poſſe Senatui competere *ex §. 5. Inſtit. de jur.*

An Senatus habuerit jus ſanciendi legem:

Jur. Natural. Gent. & Civil. ex l. 2. §. 9. *ff. de Orig. Jur.* ubi dicitur: Senatusconſultum eſt, quod Senatus *jubet* atque conſtituit. Nam cum actus eſſet populus Romanus in eum modum, ut difficile eſſet in unum eum convocari legis ſanciendæ cauſa: æquum viſum eſt, Senatum vice populi conſuli. Hîc non diſputabo, an vera cauſa hîc ſit adducta, an non potius Cæſarum ambitio hujus rei cauſa fuerit. *Vid. Sueton. in Tiber. c.*30. tantùm dicam, Senatui poteſtatem condendi legem competiiſſe non ex natura Senatus, ſed ex accidente, quatenus populus, penes quem erat legem rogatam confirmare & ſancire, poteſtatem ſuam ex occaſione in illum tranſtulit: ut hoc facilè ex ipſis §. verbis colligi à quovis poteſt. Verùm poſt translatam à populo in Senatum poteſtatem, cœpit de reis judicare, & eorum cauſas audire, cum antea non fuiſſet, nec eſſet Senatorium, *Cicer. action. ult. in Verrem.* Cœperunt, & peti judices ab eo, ſub Domitiano, *Sueton. in Domitian. c.*3. Et à datis, ſi quid à legis præſcripto exceſſiſſent, ad eum appellatum, ut à datis per Conſules, ad eosdem Conſules provocatio eſſet, *l.* 1. §. 1. *de Appellation.* Inſtituit & Nero, ut omnes appellationes à judicibus ad Senatum fierent. *Sueton. in Neron.*

Autoritas Senatus

13. Remanſit illi auctoritas, ut ex formulis legum non teneretur judicare, *Quintil. in* 3. ne liceret ab illo appellare *l.* 1. *à quibus appellare non licet*, aut reſcripta contra ejus ſententiam impetrare à Principe *l. un. C. de Senatus Conſultis l.* 7, *C. de Precibus Imperatori offerendis.* Et ita forſan tunc temporis jus facere potuiſſe Senatum non ambigitur. *l.* 9. *ff. de legib. Vid. Tholoſſanus in Syntagm. Jur. lib.* 47. *cap.* 25. *n.* 30. *& ſeqq.* Ex quibus conſtat, nobis hoc modo non obſtare *l. final. C. de leg.* ubi dicitur, quod tam Conditor, quàm interpres legum ſolus Imperator juſtè exiſtimetur. *Vid. Paulus Buſius in Commentar. in Pandect. lib.* 1. *tit.* 3. *de Legib. l.* 9. *pag. mihi* 10. Cumprimis verò videatur *Bacchovius in* πρώτοις *de Senatus conſult. pag. mihi* 39. 40. qui dicit, falſiſſima eſſe, & fidei hiſtoricæ repugnare, quæ dicuntur §. 5. *Inſtitut. de Jur. N. G. & C.* Addatur Hahn *in Not. Weſenbec. part.* 1. *pag.* 61. *Eguinarius Baro in* πρώτοις *pag. mihi* 21. *fac. b. Bodinus l.* 3. *de Republ. c.* 1. *pag. mihi à* 395. *usq. ad finem cap.*

Alia differentia Senatus.

14. Redeamus jam ad reliqua differentiæ, quando dicitur, quod Senatores ad id conſtituti ſint, *ut deliberent, conſentiant & decernant ea, quæ ad Rempublicam ſpectant.* Quo ipſo iterum diſtinguitur, à reliquis cœtibus, ſive collegiis & tribubus, quæ convenien-

veniendi poteſtatem habent à Principe, ut deliberent & agant de cauſis privatis: qualia collegia ſunt Opificum, Mercatorum, aliorumque, quibus ſtatis temporibus & locis determinatis conveniendi poteſtas conceſſa eſt. *Vid. Diſp. ſub præſidio meo habita de Collegiis ſodalitiis.* Deinde hæc differentia ulterius in ſe continet diſtinctionem à reliquis Cœtibus legitimis, petitam ab objecto, nimirum ut in illo decernantur ea, quæ ad Rempublicam publicè & immediatè ſpectant: *quæ Ariſtoteles definit* 4.*Polit. c.*14. *&* 1.*Rhet. c.* 4. & ſunt *Bellum, Pax, Societates & Fœdera, leges, mors civium, eorundemq; exilium, Bona publicanda; Rationes referendæ. Vectigalia, ſeu reditus, res pecuniaria, Exportatio rerum ad vitam utilium & importatio, diſtributio præmiorum, quæ verſatur vel in nummis, vel in honoribus, vel in civitate donanda, vel in agris diſtribuendis: Cuſtodia item & tuitio Regionis, Magiſtratuum creatio: deniq; religionis introductio, conſervatio & ſuperſtitionum exterminatio.* Hæ ſunt res deliberationum publicarum, de quibus debent referre, diſquirere, decernere, & decreta confirmare. *Res deliberationis publicæ.*

15. Quod dictum eſt de *Morte Civium*, Senatum ſcilicet de ea deliberare & decernere, accipiendum ſolum eſt de deliberatione, non verò de judicio. Siquidem populus *Cujus eſt de morte Civis judicare?*

 reti-

retinuit aliquando ſibi judicium de capite civis, neque Senatus de eo potuerat ſtatuere injuſſu populi, *teſte Livio l.26. c.* 33. ubi M. Attilius Regulus ita loquitur: *Per Senatum agi de Campanis, qui cives Romani ſunt, injuſſu populi non video poſſe. Vid. Majoragius cap.* 11. *de Senatu Romano*: *& annotationes in Livium pag. mihi* 91. ad verba, per Senatum agi. Et *Cicero action. ult. in Verrem* ait: Quo confugient ſocii? quem implorabunt? ad Senatum devenient, qui de Verre ſupplicium ſumet? non eſt uſitatum, *non eſt Senatorium.* Poſtquam autem à Cæſare Dictatore Reſpublica opprimeretur, languere Senatus autoritas (ordinis enim Senatorii maxima antea erat poteſtas ſub regimine populi) at deinde poſt Auguſtum interire etiam cœpit, cum unius arbitrio omnia regerentur. Nam antea Senatus erat particula Majeſtatis, uti affirmat *Arniſæus in Doctr. Polit. lib.* 1. *c.* 14. *pag. mihi* 280. Ex quo cum Tiberius, Nero & Adrianus Senatui tradiderint judicia, ante ſe Senatus ſuperiorem putavit. *Vid. Forſtnerus in l. XI. Annal. Tacit. c.*22. *pag.* 63. Quandoquidem Senatus eò ſuam auctoritatem non dimittebat, ut judicia privata, puta rixas & lites, exerceret, quamdiu in ſua integra majeſtate fuit, ſed ex quo inſtitutus fuit, & ante Monarchiam, majorem receperat poteſtatem, ut

Autoritas Senatus inclinata.

ut ſupra explicavimus, ut etiam, cum populus legis ſanciendæ cauſa difficile in unum conveniret, legis ſanciendæ poteſtatem in eum tranſtulerit, §. 5. *Inſtit. de Jure N. Gent. & Civil.* Jam verò leges inermes, juſſaque præſidio deſtitutæ, vana plerumque ſunt, & effectu carentia. *Vid. Forſtner. in l. 13. Annal. Tacit. c.* 48. *pag.* 262. Vana eſt omnis ſententia, quæ executione deſtituitur, *Gothofred. ad l.* 13. §. 3. *C. de Judiciis. Vid. Diſſ. noſtra de cauſis Ariſtocratiam conſervantibus* §. 8. & leges, executione deſtitutæ, ludibrio fiunt: *l. fin.* §. 6. *C. de Bonis quæ liberis. Vid. Bodinus l.* 3. *de Republ. c.* 1. *pag.* 387. *Leges inermes quid.*

16. Et ne quem offendat ordo earum rerum, quæ in deliberationem Senatus venire debent, ſupra à nobis poſitus, in quo Religio ultimum locum occupat, ſciendum eſt, nos iſtas res absque ulla vel ordinis, vel dignitatis ratione attuliſſe: Equidem nos non latet, Romanos in Senatu primum de Religionibus, & cultu Deorum agere conſuevisse, quaſi à rebus divinis omnium actionum humanarum initium duci & in eodem terminari deberet. Certe Romani populos omnes, ut *Polybius ipſe l.* 6. *Hiſtor.* ſcribit, religione ac Deorum cultu & obſervantia ſuperarunt, idemque ſtatuit, hac unâ re maximum illud imperium à Romanis funda- *Religio primum in Senatu*

tum ac propugnatum fuiſſe. *Vid. Diſput. noſtra de Cauſis Ariſtocratiam conſervantibus* §. 2. & 3.

Res ſub deliberationem non cadunt. 17. Liceat autem nobis hic paucis explicare, majoris cognitionis ergò, quæ nam res poſſint ſub deliberationem cadere, quæ non? *Ariſtoteles l.* 3. *Eth. c.* 3. & 6. *Ethic. cap.* 2. vocat τὰ βουλευτὰ: inter quæ referenda non ſunt τὰ ἀΐδια, quæ *ſempiterna*, & mutationis expertia ſunt. 2. *Naturalia*, ut Eclipſes, Solſtitia, Ver, Æſtas, &c. 3. Τὰ τυχηρὰ, *fortuita*, v. g. Theſauri inventio. 4. Τὰ ἀλλότρια, quæ quidem humana, à nobis tamen *aliena* ſunt, ut nemo Spartanorum deliberat, qua ratione Scythæ Rempublicam ſuam optimè adminiſtrare debeant. 5. τὰ γεγονότα *præterita*; factum enim infectum fieri non poteſt, ſecundum illos *Agathonis* verſiculos:

Re namq́; ſola hac ipſe privatur DEUS,
Ut facta non infecta poſſit reddere.

6. Τὰ ἀδύνατα *impoſſibilia*, ſtultum enim eſt deliberare, an mare ebibere velimus, aut fluvios ſiſtere, aut in Cœlum volare, aut, wie man den Erdboden möge abſchaffen / ꝛc. 7. Τὰ ἔναργα, quæ *ſenſibus obvia*, v. g. an Danubius in Germania ſit; Ciconiæ an hyeme nobiſcum maneant? 8. Ea quæ in Scientiis & artibus *certa & determinata* ſunt, ut quibus literis quælibet vox ſcribenda ſit, &

qua

qua ratione Syllogiſmus primæ figuræ ſit conficiendus. 9. & ultimo, *Finis*, ut Medicus ſtultè deliberat, an ſanitas ægroto ſit reſtituenda, cumprimis ubi finis unus & determinatus eſt.

18. De his nulla ritè inſtituitur deliberatio. Contra deliberationis verum ſunt objectum. 1. *Τὰ ἐνδεχόμενα, contingentia*, quæ aliter atque aliter ſe habere poſſunt. 2. *Τὰ ἐσόμενα, futura*, nam in præterita nullum amplius jus nobis, niſi oblivionis. 3. *Τὰ ἀδιόριςα καὶ ἄδηλα incerta, & nondum definita.* 4. *Τὰ οἰκεῖα, propria*, quæ ad nos ſpectant. 5. *Τὰ δυνατὰ, poſſibilia.* 6. *Τὰ πρακτὰ, quæ effici poſſunt*, & quidem *à nobis.* 7. *Media*, non finis, quia hic Voluntatis ſolum eſt, non Conſultationis. Tu plura de Conſultatione in genere, *vide in Diſp. noſtra Ethica IV. de βουλεύσει.* In omnibus autem rebus, quæ in deliberationem cadunt, benè à ſapientibus præcipitur, id non eſſe faciendum, quod dubites, juſtum ſit, nec ne. *Res quæ ſub deliberationem cadunt.*

19. Antequam autem ad alia, quæ ad Senatum pertinent, progrediamur, videbimus prius, *An Senatus in Republica ita neceſſarius ſit, ut ſine illo nulla rectè ſe habere poſſit?* Sunt enim, qui putant, Rempublicam ſatis benè conſiſtere poſſe, licet in illa nullus conſtituatur Senatus: cum interdum tanta ſit Principis ſolertia, ut ſe ipſo melio- *Senatus an in Rep. neceſſarius?*

rem ac prudentiorem, quem conſulere poſſit, habeat neminem: maximè ſi ſuorum æquè ac exterorum fides valde ſuſpecta ſit. Exempla adfert *Bodinus pag. 369.* Antigoni Aſiæ regis, *ex Plutarcho in Demetrio.* Ludovici Regis XI. Francorum, *ex Philippo Comineo*, cujus veſtigiis Carolus V. Imperator inſiſtere non dubitavit. Item Cai Julii Cæſaris, *ex Suetonio*, qui rerum gerendarum tam occulta conſilia capere conſueverant, ut prius confectæ res eſſent, quam conſilium cœptum putaretur. Ita res maximas illi bello & pace geſſerunt, potentiſſimorumque hoſtium opes, quas nulla vi potuiſſent, ſapientiſſimis conſiliis fregerunt. Quâ re hoſtibus terribiles ac metuendi videbantur, quorum exercitus ex improviſo ſæpius nihil tale ſuſpicantes fuderunt ac proſtraverunt. Ita duces ac milites talium principum prudentia freti, ad omnes opportunitates expediti erant ac parati, ut momento juſſa Principis exſequerentur, perinde ut corporis humani membra aptè coagmentata, rationis unius arbitrio ac voluntati, etiamſi ejus conſiliorum participes non ſint, tamen obſequuntur. *Hæc Bodinus. Addatur Zevecotius in Comm. ad Cæſarem Sueton. c. 25. pag. mihi* 104. 105.

20. Præterea, cum ſupra dictum fuerit, Senatui, qua tali, & prout Magiſtratui opponi-

ponitur; ſolam rerum deliberationem & cognitionem attribui, adeoque conſilia ſolum adferre, non malè inde quidem argumentari ſibi videntur contra neceſſitatem Senatus, aſſerendo, inde ſequi, illos, qui Senatum in Republica volunt eſſe neceſſarium, velle principem & Magiſtratum ſuum eſſe debere fungos & inſipientes 2. Ab ore Senatus dependere debere Principem, quod 3. non poteſt non cedere in contemptũ Principis, quòd ita credatur ſibi ſoli non ſufficere, nec ſapere, nihilque de ſtatu Imperii intelligere; niſi quod Senatus cognoſceret. Quo ipſo tandem 4. impoſſibile ſit, Principis conſilia in occulto manere: Quæ enim cum multis communicanda ſunt, occulta haberi non poſſunt.

21. Horum argumentorum occaſione cœptum fuit diſputari, *utrum optabilius ſit, Princeps bonus, & mali conſiliarii; an boni Conſiliarii, & malus Princeps? Forſtnerus ad l. 6. Annal. Tacit. c. 44. n. 6. pag. 449.* ſe illum ſequi dicit, qui pro certiſſima regula tradit, Principem ſæpè ſine amicis benè ſtatuere: Senatum autem ſub imprudenti & fatuo Principe nunquàm benè conſulere poſſe: niſi unus aliquis ex Senatu ſit, in quem tranſlata omnium negotiorum cura, princeps acquieſcat. *Lipſius tamen l. 3. c. 10. n.* 8. ait, meliorem eſſe Rempublicam, & propè tutio- *Quæſtio.*

rem, in qua Princeps malus ſit, eâ, in quâ mali Principis miniſtri, *ex Lamprid. in Alexandro c. 65.* Ex quo eodem etiam hujus aſſerti cauſam & rationem adfert: ſiquidem unus malus poteſt à plurimis bonis corrigi, multi autem mali non poſſunt ab uno, quantumvis bono, ulla ratione ſuperari. *Bodinus l. c. pag.* 370. ad quæſtionem, utrum præſtabilius fuerit, Principem ſapientiſſimum Reipubl. ſive Senatui præeſſe, quam ſtupidum & ad imperandum ineptum hominem prudentum Senatorum multitudine abundantem? reſpondet, ſapientibus neutrum probari. Nam, *inquit*, Si tanta Principis virtus eſt ac Sapientia, ut alienis conſiliis carere facilè poſſit, nihil magis optandum, quam ut rerum gerendarum conſilia, quoad ejus fieri poterit, quam maximè occulta ſint; quoniam prodita ac patefacta, clariſſimas Civitates ac Imperia funditus everterunt. Quamobrem prudentiſſimi quique Principes ita ſe comparant, ut quæ minimè omnium fieri cupiunt, ea identidem ſe jactent eſſe facturos. Quid autem à ſtulto ac ſtupido principe ſperandum eſt, ut Sapientum cœtus ad conſilium arceſſere velit, cum ſapientiæ argumentum in principe majus ſit nullum, quam ſapientum virorum delectum habere, ut eorum conſiliis uti frui poſſit.

22. Nos

22. Nos reſpondemus ita: Principem quidem debere eſſe prudentem, ut non opus habeat ſemper & ubiq; alienis videre oculis, ſemperque ab aliorum ore & prudentia dependere, ſed propriis uti poſſit, cum maximè magna circumſpectio requiratur, ut plurium ſententias inter ſe conferas, & ex iis optimam, velut aurum purum ex ſtercore deligas, nec minoris cautionis eſt & moderationis, ſi ipſe non ſapias, benè monentibus obſequi poſſe, *Heſiod. l.* 1. Prudentiam tamen ejus non excludere debere conſilia Senatus ſapientis & boni; ſed Senatum neneſſariò admittere: hocque ob multas ratioces. 1. Ne ſibi ſoli ſapere videatur, atque ſic odium ſubditorum ſuorum incurrat, dum reliqui prudentes & cives boni contemni videantur & negligi. 2. Ne, ſi aliquando in periculoſis eventus conſiliis propriis non reſpondeat, ſolus culpam ferat, ſibique hoc modo periculum aliquod creet. 3. Quia Is, qui de ſua unius ſententia omnia agit, temerarius magis judicatur *à Livio*, quàm ſapiens. Hinc Romulus à manibus Senatorum, quos ipſe tamen creaverat, creditur eſſe interfectus, *Plutarch. in Romul.* Et Cæſar in Senatu trucidatus eſt, quem nunquam ſolitus erat conſulere, *Plutarch. in Cæſar. Bodinus l. c. pag.* 372. *Vid. Arniſæus in Doctr. Polit. l.* 1. *C.* 14. *pag.* 279. Magis itaque conſulit

Prudentia Principis non ſtatim excludit Conſiliarios

ſulit princeps rebus ſuis, ſi conſilium forte male ceſſerit: non enim ipſi, ſed potiſſimum conſiliariis culpa imputari ſolet, cum pro affectione erga Principes ſoleant ſubditi has voces uſurpare: *Principem quidem Virum bonum eſſe, ſed decipi & regi à Conſiliariis. Vid. Tholoſſanus lib. 24. de Republ. c. 3. n. 3. p. m.* 863.

Reſpondetur ad argumenta contra neceſſitatem Senatus

23. Ad argumenta autem in contrarium allata, quæ nullam Senatus neceſſitatem videbantur evincere, Reſpondemus & quidem ad illud, quod interdum tanta Principis ſolertia ſit, ut ſe ipſo meliorem & prudentiorem, quem conſulere poſſit, habeat neminem: hoc accidentale eſſe, & rariſſimum. Ex his autem, quæ forte uno aliquo caſu accidere poſſunt, jura non conſtituuntur, *l.* 4. *ff. de LL. & l.* 5 *d. t.* Nam ad ea potius debet aptari jus, quæ & frequenter, & facilè, quàm quæ perrarò eveniunt. Quod enim ſemel aut bis exiſtit, præteriri ſolet. *l.* 7. *d. t.* Jura namque conſtitui oportet in his, quæ ἐπὶ τὸ πλεῖστον ut plurimum accidunt, non quæ ἐκ παραλόγου ex inopinato *l.* 3. *d. t.* propterea rarò quæ fiunt, in iis miraculum eſt, *Novell.* 105, *c.* 1. Notum jam eſt, ſapientiæ decus ac ſplendorem rariſſimè inter mortales elucere; rarius autem inter principes, *ajente Bodino l. c. pag.* 370. Unde tam pauci ſunt Principes boni, ut eorum nomina uni inſcribi annulo poſſint, *inquit Heiderus*

derus in Syſtem. Polit. pag. 287. Si verò tàm ſuorum, quàm exterorum fides eſt ſuſpecta, princeps non facilè fidere debet: interim ei incumbet, ut ſibi quosdam reddat vel clementiâ, gratiâ, honore & *liberalitate* addictos & fideles, eosdemque probet prius in levibus quibusdam cauſis, & eorum fidem exploret, ut poſt in gravioribus habeat certiores. Nec facilè contingit, ut omnes principem ſuum naturalem odio habeant, niſi ſummè tyrannicè imperet: & maximis injuriis ac contumeliis ſuos afficiat, *Vid. Ariſtoteles 5. Polit. c. 3. & Piccartus in l. c. 5. Polit. pag.* 671.

24. Ad ea, quæ §. 20. ſunt adducta, facilis reſponſio eſt: & quidem in I. nulla conſequentia eſt: cumprimis cum nos ipſi requiramus Sapientem principem, propter Senatum Sapientem: cum enim indifferenter in Senatum legendus non ſit quilibet, ſed adhibendus delectus, quæſo, quomodo non in Principe requiretur prudentia? Ad 2. dicimus, tantum abeſſe, ut inde aliquod incommodum ſequatur, ut inde potius ruina futura ſit, ſi Senatus omnis negligatur. Siquidem qui recta conſilia ſequi non vult, pereat ſuâ (ut habet communis ſententia) prudentiâ, cum alterius prudentia poſſit eſſe ſalvus. Nam qui ſpernit conſilium, auxilio eſt indignus, quod Germanus ita effert: Wem nicht

Princeps prudens ſit propter Senatum prudentẽ

Princeps conſilio & auxilio carere non poteſt.

zu rathen/ dem iſt nicht zu helffen. Quin imò lethale illius Reipubl, ſignum habetur, ubi vel Princeps conſilium petere negligit, vel idonei Senatores & Conſiliarii deſunt. Ad 3. dicendum, falſiſſimum eſſe: minuere principis dignitatem aut exiſtimationem Senatum, ejusq; conſilia. Contrarium potius verum eſt, quia tum apud vicinos, amicos pariter ac hoſtes, principis autoritas & exiſtimatio major eſt, ſi prudenti ſenatu utatur. Ut enim ex ſociis malis dignoſcitur malus, ita ex ſapientibus, ſapiens, *argt. Pſ.* 18. 27. Et uti perfectio perfectioni addita fit major, ita ſi Rempublicã ſapiens adminiſtrat Princeps, melius adminiſtrabit, accedente ſapientum aliorum adjumento. Tandem 4. non eſt quod proditionem, aut Secretorum publicationem metuamus à Senatu: hoc enim eſt quod diximus, ipſum quoque principem ſapientiam decere. ut ſciat eligere Senatores omnibus virtutibus ſplendidos, quas inter virtutes ultima non eſt Taciturnitas.

Senatus Prudens auget Principis autoritatẽ

Senatus Secretis non obeſt.

25. Egregiè huc facit *diſcurſus Trajani Boccalini l.* 1. *Relatione* 90. *pag. mihi* 262. Ille inter alios, hominem ex inſula Coo oriundum, & in ſqualidas raptum tenebras in mediam producit lucem, Apolliniq; tanquam ſupremo judici reum ſiſtit, quod ſe vadem præfecti urbis alicujus dictæ Inſulæ à Principe confirmati, ſed hominis lubricæ fidei & depe-

depeculatoris, dederit, utque damnum reſarciendum ipſi adjudicetur, inſtat. Factum Apollinem in admirationem rapit, Dominoque Inſulæ dicit: Præfectus, & in officio conſtitutus homo non ex vade bonus eſt, ſed ex Principis prudenti promotione. *Vid. tract. noſter de Conſiliariis: item diſp. 10. de Arte χρηματιστικῇ*, §. 17. *pag.* 237. 238.

26. Ex his ſatis apparebit Senatus neceſſitas in rebuspublicis, præprimis ſi addas hanc quoque rationem, quod negari non poſſit, quin iis, qui aliis præſunt, & ad clavum Reipubl. ſedent, maxima & gravis negotiorum moles incumbat: ideò, ut leviorem ſibi reddant, amicos, Senatores ſibi adſciſcant, neceſſe eſt, qui partem curarum in ſe recipiant, exemplo Moſis *Exod.* 18, 21. Fieri enim nullo modo poteſt, ut unus tot negotiis feliciter expediundis ſufficiat. *Vid. Princeps Plinianus, Jacobi à Bruck Angermundt, pag. mihi* 10. *&* 11. *Senatus Principem ſublevabit in maximis negotiis*

27. Oſtendimus ita in genere, Senatu opus eſſe, in benè conſtituta Republica, & in ſpecie eodem indigere Principem, ſive Monarcham. Verùm nec reliquas Rerumpubl. ſpecies eodem carere poſſe, aut debere, porrò demonſtrandum eſt. Ut incipiamus à Democratia, ſciendum eſt, plebem, ſive totum populum, ob diffuſam ſuam multitudinem infrenem belluam eſſe, ipſi- *Senatus eſt neceſſarius etiam in Democratia.* *Plebis natura.*

ipſique impetum pro conſilio & ratione eſſe: vilis humi ſerpit, & animo prædita plebs eſt nunquam aſſurgente ſublimibus conſiliis, & cogitationum magnitudine: nunquam enim alta ſpirat, ſed ſemper aut ſerviliter ſervit, aut ſuperbe dominatur, *teſte Livio l. 34.* Hinc in Democratia, ubi plebs imperat, Senatus conſtitui debet, ex præcepto Platonis *l. 6. de Leg.* ut præcipitantia & furor vulgi, ejus tarditate contemperetur. In quem finem Solon quadringentorum Præconſultorum collegium Athenis inſtituit, *Plutarch. in Solon.* ſine quorum præconſulto ad Concionem nihil referebatur. Unde Thraſybulus & Androtio capitis accuſabantur, quod ſine ſenatusconſulto ad populum referrent. *Plutarch. in Lyſandr.* Ariſtocratiam quod attinet, illa ipſa ex Senatu conſiſtit, ut ita ulteriore probatione opus non ſit, in eadem Senatum neceſſariò requiri.

In Ariſtocratia Senatus etiidem neceſſarius.

28. Cum igitur Senatus in omni Rep. tam ſit neceſſarius, quam in corpore ipſo mens & ratio, ſine qua corpus ipſum non modo ſeſe regere, ſed ne momento completè quidem ſubſiſtere poſſit, videndum erit, quomodo in diverſis Rerumpubl. ſpeciebus Senatus ſe habeat, id quod *ex Ariſtotelis l. 4. Polit. c. 14.* cognoſcere poterimus: id quod ſtatim adducemus, ſi modo prius oſtenderimus.

etiam

etiam *in Republ. Mixta*, Senatu opus eſſe. Et ne longinqua utamur probatione, ſolummodo rempublicamRomano Germanicam contemplabimur, quæ plurimis fatentibus Reſpubl. Mixta eſt. Fatentur inſuper Interpretes, Senatum Romanorum hodiè repræſentare Electores & reliquos Imperii principes, qui in Comitiis Imperii jus dicendi ſententiam habent. *Vid. Oldendorp. & Colleg. Argentorat. ad tit. de Senat. n. 5.* In Comitiis illis, quæ olim annua erant, & in urbe Arelatenſi perpetuò habebantur, *Goldaſt. 3. conſt. Imp. part. 1. Item Receſſ. Imperii de Anno* 1512. §. *item* haben wir / und die Stände deß Reichs uns / ꝛc. *pag. mihi* 102. Sic Maximilianus annuos conventus conſtituendo ſedulus fuit, *Receſſ. Imper. de Anno* 1495. *rubrica*: Handhabung deß Friedens: §. Es ſollen und wollen auch wir / Churfürſten / ꝛc. *pag.* 30. Hodie tamen in Imperio non ante habentur Cæſaris & ordinum conventus, quàm ſi fatum ei aliquod immineat: quod uti à certo tempore non pendet, ita nec Comitiis certum terminum conſtitui convenit, ſicuti olim tempus menſtruum erat conſtitutum, ut ex allegatis Receſſibus apparet. In illis inquam comitiis à Statibus Imperii agitur de illis negotiis, quæ Imperii noſtri conſtitutionem, conſervationem, correctionem & defenſionem concernunt, & illa

In Republ. Mixta neceſſitas Senatus

Quomodo Senatus ſe habeat in Imperio Romano Germanico.

& illa omnia maturè & accuratè in deliberationem vocantur, *Vid. Bertramus de Comitiis, poſition. 2. Item Juſtus Sinold* Schüß / *in Jure publ. Vol. 1. diſp. X. theſ. 1. lit. E. p. 623.*

Comitia quid? Hinc definiunt comitia in genere, quod ſint Imperatoris & optimatum Imperii omnium, vel certorum quorundam conventus ad aliquid ſciſcendum, decernendumve Reipublicæ cauſa. *Vid. Güntherus in Diſp. Inaugurali de comitiis Imperii Argentorati habitâ. Anno 1626. theſ. 4.*

29. Videamus jam, quomodo Senatus ſe habeat in diverſis Rerumpubl. ſpeciebus *ex Ariſtotelis l. 4. Polit. c. 14.* ubi dicitur, in omni Civitate neceſſe eſſe, ut aut omnes de omnibus deliberent, vel quidã de omnibus, vel quidam tantum de quibusdam, ſcil. hi de his, alii de aliis, vel de quibusdam omnes & de quibusdam quidam. Ex his primum modum dicit Philoſophus eſſe Democratiæ proprium; ubi omnes de omnibus deliberant. *Senatus in Democratia.* Democratia enim in eo conſiſtit, ut omnes ſint æquales, & nemo alteri præferatur. Neminem autem alteri præferre, eſt nemini officium aliquod denegare in Republica, ſed omnes admittere. Si ergo nemo debet alteri præferri, omnes admittendi ſunt ad deliberationes publicas, & proinde proprium erit Democratiæ, ut omnes de omnibus

bus deliberent. Hic autem primus modus iterum diverſimodè ſe habere poteſt, & 1. quidem, quando populus non convenit confertim, ſed tributim ? & ita poteſtas deliberandi eſt penes Tribus, ſive omnes ordines civium. Ubicunque populus imperat, ibi obtinet diviſio in ordines (in die Gilden/ oder Zunfften.) Jam alibi non ſinguli conveniunt, ſed tributim, quod in Germania plerumque fit, & hoc modo revera populus convenit, ſed ſolum per collegia.

30. Hæc omnia ut rectius intelligantur, excurrendum paululum erit in explicationem Comitiorum, ſive conventuum, in Veteri Romanorum Politia. In illa vocabantur *Comitia Calata*, ubi calabatur i. e. vocabatur totus populus per cornicem, id eſt, tubam ſeu buccinam. Vox enim καλέω, voco ſignificat. Horum Calatorum comitiorum tria erant genera, nimirum *Tributa*, *Centuriata*, & *Curiata*. In Curiatis, ex triginta Curiis, in quas Romulus populum tanquam in triginta partes, quas curias vocavit, diviſit, ſuffragia ferebantur: dicebantur autem Curiæ, quod tunc Reipubl. cura per ſententias partium earum Romulus expediebat, *l.* 2. §. 2. *ff. de Orig. Jur.* inque his leges & ſententias ferebant viritim. *Vid. Zaſius in h. l.* In Centuriatis, quæ Servius Tullius VI. Romanorum Rex inſtituit,

Comitia Calata *Curiata* *Centuriata*

ſuffragia ferebantur ex cenſu, ætate & ordine, ex ſingulis centuriis, h. e. per ſingulas Centurias unus calculum dabat. Erant autem Centuriæ nonaginta duæ, vel juxta quosdam quinque, juxta alios adhuc ſex: aliàs claſſes dictæ. In Tributis ſuffragia ferebantur ex omnibus regionibus urbis & Tribubus. *Vid. Wintherus in diſput. Inaugural. de Comitiis §. 5. & Raphaël Volaterran. de Magiſtratu pag. mihi 288. item diſp. noſtra Politica de Politia §. 18. Arniſæus in Relectio. Polit. lib. 2. c. 5. ſect. 2. n. 6. & ſeqq. pag. mihi 771. & ſeqq.*

Tributa

Modi, quibus omnes vel de omnibus vel de quibusdam conſultabant

31. Licet autem in hoc primo modo non convenerint confertim, ſed tantum per collegia, nihilominus tamen adhuc omnes de omnibus conſultabant; cum deligeretur certus numerus, ſic tamen ut nemo excluderetur, ſed alium poſt alium, adeoque omnes tandem ordo vocaret. Similem conveniendi modum ait Philoſophus in multis civitatibus inveniri, quando ſcilicet non populus univerſus, ſed collegia certa Magiſtratuum ex omni populo collecta, de Republ. conſultant, quale collegium fuit Athenis Theſmothetarum. Verba Philoſophi hæc ſunt: *Et verò in aliis quoq; Rebuspubl. Magiſtratuum collegia coacta conſultant: Magiſtratus verò capiunt omnes per vices ex tribubus & partibus omninò minimis Reipublica,*

Modus I.

donec

donec ad omnes ſit perventum. Hæc Philoſophus: Qui etiam quoad hunc primum modum, in quo omnes de omnibus rebus, ſed per vices, donec ad omnes ordo pervenerit, deliberant, exceptionem aliquam adducit, dum ait, *aliquando etiam hic accidere, ut omnes cives non tantum per vices & collegia, ſed confertim quoq́, conveniant, neceſſitate ſcilicet id exigente, ut quando deliberandum de Legibus ferendis; quia ſervile videtur hanc poteſtatem alii permittere; & quando conveniunt ad audienda ea, quæ à Magiſtratu referuntur ad populum.* Conveniunt, inquit Philoſophus, & de legibus tantùm, & de republ. & ut, quæ à Magiſtratibus edicta ſunt, audiant.

32. Aliter omnes de rebus deliberant, quando omnes quidem ad deliberandum de Republ. confertim conveniunt, interim tamen omnia ſibi ad deliberandum non ſumunt, ſed ſolùm ſumma capita, ut jus creandorum Magiſtratuum, conditionem legum, bellum & pacem, rationem adminiſtrandorum munerum & ærarii, reliqua permittunt omnia Magiſtratibus ſorte vel ſuffragio delectis. Sed hic modus hodie nusquam in Germania obtinet. Siquidem hodie obtinet illud, quod dicitur §. 5. *Inſtit. de Jur. Nat. & Civil.* Senatus Conſultum eſt, quod Senatus jubet atq; conſtituit. Nam

Modus II.

Senatus conſultum

cum auctus eſſet populus Romanus in eum modum, ut difficile eſſet in unum eum convocari legis faciendæ cauſa, æquum viſum eſt, Senatum vice populi conſulere.

Modus III. 33. Tertius modus eſt, cum cives præſentes quidem adſunt omnes, quando creantur magiſtratus: item quando rationes redduntur, cum deliberatur de bello, aut pace, de fœderibus, de coëunda vel dirimenda ſocietate, reliqua tradunt Magiſtratui electo ſuffragiis tali, qui rebus commiſſis gerendis ſit idoneus. Hic modus cum ſecundo magnam videtur habere affinitatem; differt tamen, quia in ſecundo liberum relictum eſt, magiſtratus ſortitò vel ſuffragiis creare, hic ſuffragiis ſolum deligendi ſunt. Deinde, quod in ſecundo magiſtratus ex quibusvis indiſcriminatim ſumi poteſt, hic non niſi idoneus.

Modus IV. 34. Quartus modus eſt, quando omnes de omnibus coëuntes conſultant, & magiſtratus prorſus nullã habet poteſtatem ſtatuendi aliquid de quavis re, tantum illis permiſſum eſt προανακρίνειν, ſive, ut aliàs loquitur Philoſophus, προβουλεύειν i.e. prius inter ſe deliberare, de quibus rebus ad univerſitatem ſit referendum. Hæc poſtea vel approbat à Magiſtratu propoſita, vel refutat. *Clariſſ. Conringius* dicit, neque hanc ſpeciem uſpiam in Germania obtinere. Scien-

Sciendum hîc eſt, in quibusdam Rebuspubl. Græciæ, Probulos & Nomophylacas inſtitutos fuiſſe, qui eas rogationes, quæ ad populum ferendæ eſſent, præjudicio quodam diſceptarent, examinarentque, ne quando fortè populus contrarium quippiam legibus, aut, quod è Republica non eſſet, ſciſcere jubereque poſſet. *Vid. Guilielmus Budæus in annotat. ad Pandectas ad l. ult. ff. de Senator.* Atque hi ſunt modi, quibus omnes ſolent deliberare vel de omnibus, vel de quibusdam: quod eſt *Democraticum*. *Probuli & Nomophylaces.*

35. Vidimus, quomodo ſe habeat Senatus in deliberationibus in Democratia. *In Oligarchia* aliter ſe habet, ibi enim omnes deliberabant de rebus, hic ſolùm Quidam. Quandò ergò quidam de omnibus deliberant, Oligarchicum eſt: nam ibi quidam prærogativam habent propter certam quandam excellentiam: ubi autem excellentia attenditur, ibi fieri non poteſt ut omnes deliberent. Poſſunt autem quidam de omnibus deliberare tribus modis: 1. quando illi, qui conſultare debent de rebus ad Rempublicam neceſſariis, eliguntur à cenſu Mediocri. Unde fit, ut multi ad deliberationes perveniant, nimirum omnes illi, qui cenſum illum mediocrem poſſident, ita tamen, ut legis præſcriptum ſequantur. Et hoc accidit in prima ſpecie Oligarchiæ, *Senatus in Oligarchia.* *Quidam de omnibus deliberant, tribus Modis. I.*

quam Philoſophus deſcribit 4. *Polit. cap.* 5. in qua omnibus patet aditus ad gubernacula Reipubl. qui certum & definitum cenſum poſſident. V. g. ſit lex: Omnes, qui in ære habent decem millia thalerorũ, habeant poteſtatem deliberandi: tales forte ſint centum. Hinc fiet Oligarchia, quia maxima pars excluditur, permittit tamen lex omnibus aditum, modo tantum habeat in ære. Hinc qui ante annum excluſus, poteſt hodie habere aditum, ſi tantum divitiarum habeat: Hinc pluribus eſt ſpes perveniendi ad Magiſtratum ſive Senatum, cum omnes, qui inſcripti in numerum & album civium, poſſint ad deliberationes admitti, ſi tantum habeant. Et hanc ſpeciem Oligarchiæ Ariſtoteles 4. *Polit. c.* 5. & 14. dicit, magis accedere ad ſtatum popularem, ſive civilem, propter mediocritatem, ex qua quivis ex infimo populo admittitur, ſi tantum æris habeat. *Caſus in Sphæra Civitatis pag. mihi* 302. dicit, hunc modum non tam ad Oligarchiam quàm ad Politiam & ſtatum mixtum referri poſſe.

II. 36. 2. Ubi quidam de omnibus deliberant, iterum ex electione & cenſu, ſed cenſu intento, ſive aucto, tantũ ut hoc modo pauciores deliberationum publicarum fiant participes: nihilominus tamen hic quoque vis legum ſalva eſſe debet: nimirum quia hic requi-

requiruntur opes majores, quæ poſſeſſores ſuos ſolent facere & potentiores, & audaciores, ne reliquam plebem ditiores ſupprimant, leges vigere debent. 3. Quando pauci quidem deliberant, de omnibus, ita tamen ut leges negligant & jus deliberandi ſibi hæreditarium faciant, & ex ſemetipſis, vel ſuis filiis vacua loca ſuppleant. Ex quo oritur peſſima Oligarchia. *III.*

37. Quando verò quidam de quibusdam deliberant; & de quibusdam aliis etiam omnes, videtur modus Ariſtocraticus eſſe v. g. deliberent viginti de bello & pace, reliqui verò cives omnes, unâ cum his viginti, de legibus ferendis, & rationibus reddendis, ſi viginti illi vel ſuffragiis, vel ſorte facti ſint, ſpecies erit vel Ariſtocratica, vel Politica, ſive Timocratica. Suffragiis enim eligi Ariſtocraticum eſt; ſorte, Timocraticum. Conſideratur namque hic Virtus quædam, atque ex virtute certa, nonnulli eliguntur & certis rebus præficiuntur, de quibus deliberent. Ad cæterarum verò rerum, in quibus virtus illa non curatur, deliberationes omnes admittuntur. Eſt igitur hic modus Ariſtocraticus. Nam Ariſtocratia, vulgò ſcilicet ita dicta, in una aut altera virtute conſiſtit. Quod ſi verò quidam de his deliberant, quidam de aliis v. g. in bello & pace exercitati, de bello & pace, & fœderibus: *Quidam de quibusdam deliberant.*

JCti verò de legibus, earumque interpretatione: Ille modus partim Politicus eſt, partim Ariſtocraticus: his enim formis ille modus deliberandi convenit. Et ita ſe habet Senatus in diverſis Rerumpubl. ſpeciebus. *Vid. quædam, quæ huc faciunt in diſp. noſtra de Oligarchia* §. 16. *& ſeqq.*

38. Quoniam audivimus, non in omni Republica omnes de omnibus deliberare & conſultare, ſed ſæpè ſolum Quoſdam v. g. in Monarchia, & Ariſtocratia ac Oligarchia: ut ſciamus, quibus jus illud dicendi Sententiam in Senatu competat, & indifferenter non confluant, neceſſe eſt, ut *electio* inſtituatur, per quam electionem his jus competat ſententiam dicendi, & in Senatum veniendi, non illis. Quam Lectionem ſive electionem ut intelligamus, quomodo ea ſe apud Romanos habuerit ex Origine Senatus conſpici poterit. Primum itaque Senatores conſtituti ſunt à Romulo, quod *Livius l.* 1. *c.* 8. ita deſcribit: *Quum jam virium haud pœniteret, conſilium deinde viribus parat. centum creat Senatores, ſive quia is numerus ſatis erat; ſive quia ſoli centum erant, qui creari Patres poſſent.* Patres certè ab honore, patriciique progenies eorum appellati. *Dionyſius Halicarnaſſeus l.* 2. *pag. mihi* 85. 86. paulò prolixius hoc deſcribit, quando inquit; *Romulus, poſtquam hæc in decentem ordinẽ redegit, confeſtim*

Quomodo ſint in Senatum quidam lecti, apud Romanos.

Lecti à Romulo.

feſtim decrevit Senatores creare, ut eſſent, quibus cum adminiſtraret Rempublicam: centumq; viros, ex ordine patricio, allegit, hac ratione. Ex omnibus unum ipſe declaravit præcipuum, cui rerum urbanarum regimen committeret quoties ipſe foras duceret exercitum. Præterea tribum unamquamq; juſſit tres viros ſeligere, qui per ætatem maximè ſaperent, & genere præcellerent. poſt hos novem mandavit rurſum ſingulis Curiis, ut è patriciis ternos eligerent maximè idoneos: adjectisq; ad illos novem quos tribus legerant, his nonaginta, qui curiarum ſuffragiis promoti erant & his omnibus præfecto duce, quem ipſe ſecreverat, centenarium explevit Senatorum numerum. Hoc conſiſtorium, ſi Græcè interpretari velis, ſignificat γερουσίαν i. e. Senatum: atq; ita usq; ad præſens tempus à Romanis vocatur. Utrum autem propter ætatem, an propter virtutem huic conſeſſui nomen ſit inditum, non poſſum certò dicere, priſci certè viros ætate ac virtute præſtantes, ſenum appellatione honorabant. Qui verò cenſerentur in hoc concilio, Patres conſcripti nominati ſunt; & ſic vocantur nunc quoq;. Hæc Halicarnaſſeus. *Addatur Plutarchus in Romulo pag. mihi 16.*

39. 2. Electi etiam ſunt Senatores confecto bello Sabino, à Tatio, quem in regni collegam Romulus receperat. Ita autem loquitur *Halicarnaſſ. l. c. pag. 111.* Jam ordinatis rebus, viſum eſt regibus, quando tur- *à Tatio.*

bæ

bæ multitudine magnoperè creviſſet civitas, duplicare Patriciorum numerum, æquali numero è novis incolis ad priores familias illuſtres adlecto, quos patricios vocarunt. atque ita ex his centum viros curiarum ſuffragiis electos ad veterem Senatorum numerum adſcripſerunt. 3. Tarquinius Priſcus, ſtatim ut principatum accepit, ad conciliandum ſibi plebis favorem, ſicut à prioribus regibus factum erat, hâc beneficentia uſus dicitur: ſelectos ex omni plebeorum numero viros centum, quibus bellicæ virtutis, aut civilis prudentiæ teſtimonium ab omnibus perhiberetur, Patricios fecit, & in Senatorum numerum cooptavit: ac tum primum Roma trecentos habuit Senatores, qui ducenti ante fuerant, *Halicarnaſſ. l. 3. pag. 199.* 4. Ejecto Tarquinio, & Republ. mutatâ L. Junius Brutus, & P. Valerius Poblicola, præcipuos ex plebe allegarunt in patriciorum ordinem, & ex his ſenatum ſuppleverunt ad trecentorum numerum. *Halicar. l. 5. p. 287.* Nam Tarquinius Superbus Patriciorum ordinem ad paucos redegerat, & ex magnis fecerat humiles; & ex ditiſſimis pauperes, *dicente eodem l. 4. pag. 272. 273.*

à Tarquinio Priſco.

à L. Iunio Bruto & P. Valerio Poblicola.

à C. Graccho.

40. 5. Longo tempore poſt à C. Graccho Tribuno plebis, allectis ex equeſtri ordine trecentis, ſexcenti Senatores lege primum facti ſunt, *Vid. Florus in Epitome Livii 60. p. m. 629.*

ı. 629. *Plutarch. in Gracchis pag. mihi* 310.
. Facta etiam lectio Senatus eſt, *teſte Appia-*
o l. 1. *bellorum civilium.* L. Cornelio Sulla, *à Cornel.*
Quincto Pompejo Ruffo Coss. Ita enim *Sullà,*
ribit: eos conſules in Senatum, tum ma- *Quincto*
imè propter infrequentiam contemnen- *Pompejo.*
um, trecentos ex optimatibus legiſſe. Hanc
men lectionem non à Conſulibus, ſed à
enſoribus, qui tum fuerunt, L. Julio Cæ-
re & P. Licinio Craſſo, factam fuiſſe, *Si-*
nius l. 2. *de Antiquo Jure Civium c.* 2. opi-
itur.

41. In hâc Senatorum lectione ratio *In lectione*
it habita *Generis, Ordinis, Cenſus, Ætatis & Senatorũ*
agiſtratus. Generis quidem, ut ex iis familiis *habita*
gerentur, quibus Senatus patebat. Patuit *fuit ratio*
tem primum Patriciis: poſt etiam plebeis. *Generis.*
e patriciis ſupra à nobis multa loca addu-
a ſunt. De Plebeis §. 39. adduximus *Ha-*
arnaſſ. l. 5. *pag.* 287. ex quo loco hoc quo-
e innoteſcit, quod illi plebei, qui in Sena-
m legi debebant, prius patricii effecti ſint,
tum demum in Senatum cooptati. Et
c modo cum plebe Senatus communica-
s fuit. *Ordinis* ratio in eo fuit habita, ut *Ordinis*
m in Senatum aliqui legendi eſſent, ma-
mè legerentur ex Equeſtri ordine; qui
oximus dignitate erat. *Hinc Liv. l.* 42. *c.*
. Ordinem Equeſtrem Senatus Semina-
m vocat: verba ita habent: Præjudica-
tum

tum eventum belli habetis: meliorem partem hoſtium, equitatum Romanum, quo invictos ſe eſſe gloriabantur, fudiſtis. Equites enim illis principes juventutis, equites Seminarium Senatus: inde lectos in Patrum numerum conſules, inde imperatores creant. Hunc Equeſtrem ordinem, gradum ad Senatorium quoque dixit Alexander Severus, *teſte Ælio Lampr. vid. Gruter. in Liv. p. m.* 107. Et hi, qui ob inopiam ex equeſtri ordine in Senatorium numerũ aſſumti ſunt, adlecti dicebantur, prout Feſtus adfirmat.

Cenſus 42. *Cenſus* ratio habebatur quoq; in legendis Senatoribus, ne ſplendor ampliſſimi ordinis rei familiaris anguſtiis obſcuraretur. *Vid. Draco de Patriciis pag.* 300. *n.* 18. Notum enim eſt, quæ mala ſoleant pullulare ex δωροφαγία, quæ oriri communiter ſolet vel ex paupertate, vel ex avaritia. Senator namq; avaritiæ deditus, & lucro inhians, prævertit juſtitiam: unde altera pars, quæ ad dandum emortuas habet manus, cauſâ cadit, juxta illud *Horat. l.* 2. *od.* 2.

Senator avarus quātum malū.

Malè verum examinat omnis
Corruptus Senator.
Deviat à verò corruptus munere Judex,
Falcidiamq́ʒ facit impia gaza manum.

Hinc *Ariſtoteles* 2. *Polit. c.* 9. ait, quoſdam in illa fuiſſe opinione, Magiſtratus deſignandos eſſe, non virtutis tantum, ſed divitiarum

quoque

ꝺque habita ratione: quia fieri nequeat, egens benè præſit, & otium agat. Ex a cauſa olim nemo lubens magiſtratum in ecipiebat: poſtquam verò quæſtui habi- eſt, amplius nemo abſtinere voluit. Ad- ur *Ariſtoteles l.* 2. *Polit.c.*9. (*alias XI*) *Item* . *Polit. c.* 8. Unde hodie adhuc in ali- ibus civitatibus in numerum Senatorum n legitur, qui vel extrema laborat pauper- e, vel ære alieno nimis gravatus vivit, ne lucri ineſcatus judicia corrumpat, & re- im in iniquum commutet.

43. Ex hoc cenſu Senatores legebantur Cenſoribus, à quibus etiam interdum Se- tu movebantur. Cenſoris enim officium at, in Senatum allegere, Senatus princi- m deſcribere, cenſum agere, luſtrum con- re, equos adimere. Quos autem puta- nt parum dignos, ſenatu amovere, ut fe- ſſe fertur *à Livio l.* 14. *in Epitom.* C. Fa- icius, qui cenſor P. Cornelium Rufinum nſularem, patricium virum ſenatu movit, uod decem pondo argenti facti, pro con- ivio apppoſuiſſet. Marcus autem Cato cen- or C. Flaminium, Titi Flaminii fra- em ſenatu ejecit, quod exhortatus à ſcorto, t aliquem ex iis, qui in vinculis erant, (ob- inebat enim Proconſulari imperio Galliam) ecuri percuteret, obtemperavit. Præ- erea *Liv. l.* 23. *c.* 23. de hac re ita loquitur: *Cenſoris officium*

Dicta-

tum eventum belli habetis: meliorem partem hoſtium, equitatum Romanum, quo invictos ſe eſſe gloriabantur, fudiſtis. Equites enim illis principes juventutis, equites Seminarium Senatus: inde lectos in Patrum numerum conſules, inde imperatores creant. Hunc Equeſtrem ordinem, gradum ad Senatorium quoque dixit Alexander Severus, *teſte Ælio Lampr. vid. Gruter. in Liv. p. m.* 107. Et hi, qui ob inopiam ex equeſtri ordine in Senatorium numerũ aſſumti ſunt, adlecti dicebantur, prout Feſtus adfirmat.

Cenſus

42. *Cenſus* ratio habebatur quoq; in legendis Senatoribus, ne ſplendor ampliſſimi ordinis rei familiaris anguſtiis obſcuraretur. *Vid. Draco de Patriciis pag.* 300. *n.* 18. Notum enim eſt, quæ mala ſoleant pullulare ex δωροφαγίᾳ, quæ oriri communiter ſolet vel ex paupertate, vel ex avaritia.

Senator avarus quãtum malũ.

Senator namq; avaritiæ deditus, & lucro inhians, prævertit juſtitiam: unde altera pars, quæ ad dandum emortuas habet manus, cauſâ cadit, juxta illud *Horat. l.* 2. *od.* 2.

Malè verum examinat omnis
Corruptus Senator.
Deviat à verò corruptus munere Judex,
Falcidiamq́ facit impia gaza manum.

Hinc *Ariſtoteles* 2. *Polit. c.* 9. ait, quoſdam in illa fuiſſe opinione, Magiſtratus deſignandos eſſe, non virtutis tantum, ſed divitiarum

quoque

quoque habita ratione: quia fieri nequeat, ut egens benè præſit, & otium agat. Ex qua cauſa olim nemo lubens magiſtratum in ſe recipiebat: poſtquam verò quæſtui habitus eſt, amplius nemo abſtinere voluit. Addatur *Ariſtoteles l.2. Polit.c.9.* (*alias XI*) *Item l.5. Polit. c.8.* Unde hodie adhuc in aliquibus civitatibus in numerum Senatorum non legitur, qui vel extrema laborat paupertate, vel ære alieno nimis gravatus vivit, ne ſpe lucri ineſcatus judicia corrumpat, & rectum in iniquum commutet.

43. Ex hoc cenſu Senatores legebantur à Cenſoribus, à quibus etiam interdum Senatu movebantur. Cenſoris enim officium erat, in Senatum allegere, Senatus principem deſcribere, cenſum agere, luſtrum condere, equos adimere. Quos autem putabant parum dignos, ſenatu amovere, ut feciſſe fertur *à Livio l.14. in Epitom.* C. Fabricius, qui cenſor P. Cornelium Rufinum conſularem, patricium virum ſenatu movit, quod decem pondo argenti facti, pro convivio appoſuiſſet. Marcus autem Cato cenſor C. Flaminium, Titi Flaminii fratrem ſenatu ejecit, quod exhortatus à ſcorto, ut aliquem ex iis, qui in vinculis erant, (obtinebat enim Proconſulari imperio Galliam) ſecuri percuteret, obtemperavit. Præterea *Liv. l. 23. c. 23.* de hac re ita loquitur: *Censoris officium*

Dicta-

Dictatorem, qui cenſor ante fuiſſet, vetuſtiſſimusq; ex eis, qui viverent, cenſoris eſſet, creari placuit, qui Senatum legeret: acciriq; C. Terentium conſulem ad dictatorem dicendum juſſerunt, qui cum ex Apulia, relicto ibi præſidio, magnis itineribus Romam *rediſſet, nocte proxima, ut mos erat,* M. *Fabium Buteonem ex* S.C. *ſine Magiſtro* Equitum *dictatorem in ſex menſes dixit. Is, ubi cum lictoribus in Roſtra adſcendit, neq; duos dictatores tempore uno, quod nunquã antea factum eſſet, probare ſe dixit: neq; dictatorem ſe ſine magiſtro equitum: nec cenſoriam vim permiſſam uni & eidem iterum: nec dictatori, niſi rei gerendæ cauſa creato, in ſex menſes datum imperium, quæ immoderata ſors, tempus ac neceſſitas fecerint, iis ſe modum impoſiturum. nam neq; Senatu quenquam moturum ex iis, quos* C. *Flaminius,* L. *Æmilius cenſores in Senatum legiſſent, tranſcribi tantum recitariq; eos juſſurum, ne penes unum hominem judicium arbitriumq; de fama ac moribus Senatoris fuerit: & ita in demortuorum locum ſublecturum, ut ordo ordini, non homo homini prælatus videretur.* Hæc Livius. Ubi notandum, Senatus legendi autoritatem, exactis regibus penes conſules fuiſſe. Deinde hoc munus & officium ad Cenſores delatum eſt, qui quinto quoquo anno & eos, quos tanto honore dignos eſſe judicarent, in Senatum admitterent, & eos, qui aliquid offen-

offendiſſent, è Senatu rejicerent. Interdum tamen etiam Dictatorem & Triumviros legendi Senatus gratia creatos legimus, prout annotat *Majoragius c. 14. de Senatu Romano*.

44. Quod autem ex cenſu Senatores legebantur, teſtatur *Senec. l. 2. Declamation.* quando ait: Senatorum gradum cenſus aſcendere facit. Et *Plin. lib. 14. in Prolog.* Poſteris, *inquit*, laxitas mundi, & rerum amplitudo damno fuit. Poſtquam Senator cenſu legi cæptus, judex fieri cenſu, magiſtratum, ducemque nihil magis exornare quam cenſus, peſſum iére vitæ precia, &c. Et *Senec. l. proximè citato.* Cenſus Romanum Equitem à plebe diſcernit, Cenſus in caſtris ordinem promovet. Cenſu in foro judex legitur. Proferunt autem hæc deplorandi animo perverſam legendi Senatorum conſuetudinem: nam olim Senatores à cenſoribus legebantur ex ætate, & rerum uſu, ac prudentia. Cenſus autem ex quo lecti ſunt, duplex quàm equeſtris erat, atque etiam ſub Auguſto triplex: Nam Auguſtus, *teſte Sueton. in Auguſt. c.* 41. cenſum Senatorium ampliavit, ac pro octingentorum millium ſumma duodecies ſeſtertium taxavit, ſupplevitque non habentibus. Equeſtris enim cenſus erat quadringentorum millium Seſtertium: Senatoribus verò

duplicatus octingentorum ſcilicet millium, quem triplicavit Auguſtus, & duodecies Seſtertium effecit. Sciendum præterea, primum eos demum Senatores fuiſſe, qui à Cenſoribus lecti in Senatum eſſent, ut de ſumma Reipublic. ſententiam rogati loco & modo dicerent. Fuerunt enim & alii, qui, quamvis à cenſoribus lecti non fuiſſent, tamen pro jure Magiſtratus, quem aut tum gerebant, aut ante geſſerant, ſententiæ in Senatu dicendæ jus habebant. *Gellius hac de re l.3. c.18.* ita loquitur: Videtur, *inquit*, eos ſignificare, qui nondum à Coss. in Senatum lecti, ſenatores quidem non erant: ſed quia honoribus populi uſi quidem erant, in Senatum veniebant & ſententiæ jus habebant: nam & curulibus magiſtratibus functi, qui nondum à Cenſoribus in Senatum lecti erant, Senatores non erant. Et quia in poſtremis ſcripti erant, non rogabantur ſententias: ſed quas principes dixerant, in eas diſcedebant. Hoc ſignificabat edictum, quo nunc quoque Coss. cum Senatores in Curiam vocant, ſervandæ conſuetudinis cauſa translatitio utuntur, Senatores, quibus in Senatu ſententiam dicere licet. *Hac Gellius. Vid. Budæus in Pandect. ad l. ult. de Senat. pag. mihi 79.*

45. Ex hactenus dictis, puto aliquo modo colligi poſſe *differentiam Senatoris & Conſi-*

Conſiliarii. Siquidem omnis quidem Senator Conſiliarius eſt, ſed non omnis Conſiliarius ſtatim quoque Senator eſt. quandoquidem ad Senatorem peculiariter requirebatur *Cenſorum lectio, & in numerum Senatorum receptio*, nec ſufficiebat jus dicendæ ſententiæ, & in Senatum veniendi licentia: quia aliqui venire poterant in Senatum, & dicere quoque ſententiam, qui niſi ad hoc lecti quoque eſſent à Cenſoribus, Senatores tamen non erant, uti jam oſtendimus *ſupra* §. 9. Sic hodie quoque, niſi quis in certis Rebusp. expreſſè legatur in numerum Senatorum, licet aſſumatur in numerum conſiliariorum, ita ut illi jus detur in Senatum veniendi, & ibidem ſententiam dicat, Senator tamen propriè & ſtrictè non erit. *Lectio itaq; in Senatum videtur ratio formalis & differentia conſtituens eſſe Senatoris*, officium verò, deliberare de iis, quæ ad adminiſtrationem Reipublicæ pertinent, & ſententiam dicere.

Differentia Senatoris & Conſiliarii

46. In legendo Senatore non penitus nulla habita fuit ratio *Ætatis, ceu ex Gellio* conſtat, *qui l.* 14. *c.* 8. dicit, Præfectum Urbis, ea ætate factum, quæ non eſſet Senatoria. Senibus olim cura Reipublicæ demandabatur, *unde l.* 5. *ff. de Jure immunitatis* dicitur: Semper in civitate noſtra ſenectus venerabilis fuit; namque majores noſtri penè eundem

In Senatu legendo habita etiã fuit ratio ætatis.

honorē ſenibus, quē magiſtratib⁹ tribuebant. Circa munera quoque municipialia ſubeunda idem honor ſenectuti tributus eſt. In *l.* 8. *ff. de Munerib. & Honorib.* videtur ætas determinari, quando dicitur: Ad Rempubl. adminiſtrandam ante viceſimum quintum annum, vel ad munera, quæ non patrimonii ſunt, vel honores, admitti minores non oportet. Denique nec Decuriones, creantur, vel creati ſuffragium in curia ferunt. *Unde Salluſt. in Catilin. c.* 6. ait: à Romanis delectos eſſe, quibus corpus annis infirmum, ingenium ſapientiâ validum erat, iique Reipublicæ conſultabant; hi vel ætate, vel curæ ſimilitudine Patres appellabantur.

47. Sed nec *ratio magiſtratus* penitus negligebatur, id quod ſupra quoque innuimus §. 8. Nam, ut *Sigonius ait l.* 2. *de Antiquo jure Civium Romanor. c.* 2. illi maximē in Senatum legi conſueverunt, qui Magiſtratus ceperunt. Et *Roſinus l.* 7. *Antiquit. Romanar. c.* 5. affirmat, Senatorem legi ex ordine, niſi qui magiſtratum geſſiſſent, non fuiſſe ſolitum. Unde *Cic.* ſanxit in Legib. ſuis *l.* 3. *de LL.* E Magiſtratibus Senatum eſſe oportere. *Grimalius in tract. de Opt. Senat. l.* 1. *in fin.* ſubjicit hujus rei rationem: Cognoſcendum, *inquit*, an Magiſtratum aliquem ante geſſiſſet, & quam in eo rectè adminiſtrando operam, fidem, prudentiam, dili-

Senatus ex Magiſtratibus lectus

diligentiam Reipubl. præſtitiſſet. Ex Magiſtratu enim aliquo primum geſto, Senator eligendus eſt; quod & Romæ fieri ſolebat, nam magiſtratus Patrum erat Seminarium. *Hæc Grimalius* Ubi tamen notandum, non ſtatim ac aliquis magiſtratum aliquem gesſiſſet, & jus dicendi ſententiam haberet, eum quoque actutum Senatorem fuiſſe: opus enim fuit lectione Cenſoris, usque adeò, ut ne qui Magiſtratus quidem geſſiſſent, niſi à Cenſoribus lecti eſſent, Senatores eſſe non poſſunt, *Vid. ſupra* §. 45. Quid? quod *Gellius l.* 3. *c.* 18. ex Varrone docet, etiam Curulibus magiſtratibus functos, ſi nondum à Cenſoribus in Senatum lecti eſſent, Senatores non eſſe.

48. Senatores itaque ſtrictè & propriè dicti ita in ordinem à Cenſoribus debebant legi, *Ordinarie.* Appii verò Claudii cæci Cenſoris, qui Libertinorum filios legit, & Fabii Buteonis Dictatoris ſenatus legendi cauſa dicti, lectiones fuerunt extraordinariæ. *Vid.* §. 43. *in fin.* In hac autem lectione, quæ à Cenſoribus fiebat, qui primo loco recitabatur, *Princeps Senatus* dicebatur & nemini honor hic, niſi Conſulari, & Cenſorio tribuebatur. Qui ſemel talem Principatum conſequebatur, is per omnem ſuam vitam eundem retinebat, etiam apud alios

Legi in Senatum debebant Ordinariè.

Princeps Senatus

 cen-

cenſores, nec niſi mortuo alius Princeps Senatus declarabatur.

Ratio & ordo ferendi Suffragia, ſive Vota.

49. Hic Senatus princeps aliquando etiam primum ſententiam dicebat: cujus occaſione ratio votandi in Senatu, à nobis paulò pluribus erit explicanda. Illam initio verbis *Andreæ Dominici Flocci, Feneſtellæ falsò crediti*, exprimam *l.* 2. *de Poteſtatib. Romanor. cap.* 1. *pag. mihi* 180. Aliquando eum, *inquit*, primò rogare mos fuit, qui Princeps in Senatu à Cenſoribus poſitus fuerat; nonnunquam verò, ut hi prius rogarentur, qui Conſules deſignati eſſent, inſtitutum eſt. *Cic.* verò *in Catone Majore* ſcribit, tantum aliquando Senectuti honoris tributum, quod, ut quisq; natu grandior eſſet, ita prior in Senatu ſententiam rogaretur. Uſu tandem introductum eſſe dicitur, ut quem Conſul ipſe rogaſſet, is prior ex ſententia verba faceret, alium tamen, quam conſularem virum rogari fas fuiſſe, negant. Ex qua tamen conſuetudine C. Jul. Cæſar in eo conſulatu, quem geſſit cum M. Bibulo, hos duntaxat viros extra ordinem rogaſſe dicitur, M. Craſſum, Cn. Pompejum & M. Catonem: Poſt M. Craſſum, Cn. Pompejum, ubi filiam ſibi in matrimonio collocavit, rogare primum cœpit. Cum verò M. Catonem rogaret, atque id, de quo conſulebatur, è Republ. minus fore duceret, longioreque proin-

proinde oratione uteretur, qua omne fermè tempus, quod eſt habendo Senatui, tereret: Cæſar viatorem vocavit, Marcumque Catonem, quoniam finem non faceret, prehendi loquentem, & in carcerem trahi juſſit. Catonem, cum imperio pareret, Senatus conſurrexit, & ad carcerem proſequebantur. Cujus rei quaſi invidiâ motus Cæſar, deſtitit, & mitti Catonem juſſit. *Hac Floctus.* quæ deſumpta videntur ex *Agellii l.* 4. *Noctium Atticar. c.* 10. *Vid. Budæus in Pandect. ad l. de Senat. ult. pag. mihi* 81. Item *Philippus Caroli in Agellii locum l.* 4. *c.* 10. *pag.* 141. qui totam rem ſequentibus ex Gellio explicat: Antequam Comitia habentur de novis magiſtratibus deſignandis, Conſul primo loco ſententiam rogabat eum, qui à Cenſoribus primus in Senatum lectus erat, quemque principem Senatus vocabant. Ubi verò in Comitiis Conſules deſignati eſſent, hiſce jus primæ ſententiæ competebat. *Cicero Philippica Quinta, pag. mihi* 876. *lit. F.* Qui ordo, inquit, in ſententiis rogandis ſervari ſolet, eundem tenebo in Viris fortibus honorandis. A Bruto igitur Conſule deſignato more majorum exordium capiamus. *Hac ille.* Poſt hunc rogabantur quique Patres ſecundum prærogativam dignitatis, Conſularis ante Prætorium, Prætorius ante Ædilitium, Ædilitius ante Tribu-

nitium, quemadmodum ex *Salluſtio* patet *in Catilin. c. 50.* Quem ordinem rogandarum ſententiarum Conſul Calend. Januariis tenuiſſet, eundem toto anno uſurpabat. *Sueton in Cæſare c. 21. Vid. Fax Hiſtoriar. Johannis à Chockier, Centur. 1. cap. 89. pag. mihi. 170. 171.*

50. Hic duo adhuc notanda ſunt. 1. eſt: Senatores poteſtatem habuiſſe non ea de re modò, quâ de relatum erat à Conſule, verba faciendi, ſed & alia de quacunque vellent, *teſte quoq; Tacito l. 13. Annal. c. 49. n. 2. item 2. Annal. c. 38. n. 2. item 3. Annal. c. 34. n. 1.* Hoc fecit Cato, prout §. præcedente dictum, eo ſcilicet fine, ut fieri non poſſet ea de re SCtum, quam ipſe improbabat, ſi diem alia de re dicendo eximeret. Nam Sol occaſus ſuprema tempeſtas erat ex lege decemvirali. Itaque ſi quis ad usque Solis occaſum orationem produxiſſet, perſcribi non poterat SCtum. Hoc *Cicero* uberius explicat *l. 3. de legib. pag. mihi 460. lit. D. alias circa fin. libri*: Senatori juſſa tria ſunt, *ut adſit*: nam gravitatem res habet, cum frequens ordo eſt; *ut loco dicat*: i. e. rogatus; *ut modo*, ne ſit infinitus. Nam brevitas non modo Senatoris, ſed etiam Oratoris magna laus eſt in ſententia, nec eſt unquam longa oratione utendum, niſi ubi ſpectante Senatu, quod fit ambitioſè ſæpiſſimè, nullo magiſtratu adju-

Poteſtas Senatorū in Votis.

Brevitas Senatorem decet

adjuvante, tolli diem utile eſt: aut cum tanta cauſa eſt, ut opus ſit Oratoris copiâ, vel ad hortandum, vel ad docendum, quorum generum in utroque magnus noſter Cato eſt. Illud quod Cicero de tollenda die dixit, *id Budæus pag.* 83. ita explicat: Cicero ad illud XII. Tabb. reſpiciens: Quæ cum Patribus agentur, modica ſunto: Senatori modicè dicendum ait, niſi fortè è Republ. eſſe putarit, ut longiore oratione utatur. Quod tum demum erit, cum res in Senatu decernenda, orationis copia aut ſuadentis aut docentis indiget; aut cum ita tempus tulerit, ut mora decernendæ rei quærenda ſit: id quod tum uſu venit, cum pernitioſæ alicui relationi nullus interceſſor magiſtratus impræſentiarum inveniri poteſt. Tunc enim tolli diem dicendo neceſſe eſt, quod eximi diem frequentius dicitur.

51. Alterum eſt: Multis adhuc in Rebuspubl. conſuetudinem vigere, ut Conſul reliquos Senatores roget, & ſuffragia colligat. v. g. Norimbergæ tredecim ſunt Conſules & Scabini, ſeniores; totidemque Juniores. Alte und Junge Burgermeiſter: Seniores in ſenatu votis colligendis vacant, Juniores vero, jura civibus, & nonnunquam certis caſibus, etiam peregrinis reddunt; ſique talia negotia incidant, quæ Senatus autoritate decidi æquum putant, Patribus ea proponunt

Conſul ſenatores rogat & colligit.

ponunt, eorumque juſſa fideliter exequuntur: *Videatur Parentatio Caſparis Balthaſaris Baumgartneri, Patr. Norimb. Balthaſaro Pœmero Altdorphi, Anno* 1590. *habita*. Singulis autem menſibus alius atque alius, tàm ſeniorum, quàm juniorum conſul eligitur. *Vid. Limnæus l.* 5. *Jur. Publ. c.* 35: *n.* 9.

Votorum initium an à Junioribus, an à Senioribus fieri debeat?

52. An verò vota ſint exigenda, & ſententiæ rogandæ omnium primò *à Junioribus*, an *à Senioribus*, quæſtio elegans eſt. Octavius Auguſtus, apud *Sueton. in Auguſt. c.* 35. ſententias de majori negotio, non more atque ordine, ſed prout libuiſſet, perrogabat: ut perinde quisque animum intenderet, ac ſi cenſendum magis, quàm aſſentiendum eſſet. Quo ipſo profectò multò melior fuit *Xerxe*, qui in conſultatione de bello Græciæ inferendo, convocavit quidem Aſiæ Principes, ſed tamen comparentes importunâ autoritate increpavit, dicens: Ne viderer meo tantùm uſus eſſe conſilio, vos contraxi: Cæterùm mementote, parendum magis vobis, quàm ſuadendum, *Val. Maxim. l.* 9. *c.* 5. In multis locis votorum initium faciunt Seniores, quod majoris autoritatis ſint ac prudentiæ, habeantque experientiam, indeque Juniores ſuper re propoſita inſtruere poſſint. In quibusdam verò Curiis juniores ante ſenes rogantur, ut in explicandis ſententiis liberiores ſint, qui recedere à Se-

à Seniorum opinionibus propter autoritatem non auderent. Sic moris erat in Republ. Romana, dicendæ in Senatu ſententiæ initium fieri à COSS. & iis, qui alios dignitate anteibant, ut ſupra *ex Gellio l.* 4. *c.* 10. audivimus: quod tamen poſtea mutatum eſt, & primi rogati ſententiam, qui nondum geſſerant magiſtratus, *Dio l.* 39. ne, puta, primi illi vel cœteris dicendi libertatem ſubtraherent, vel autoritate, non judicio ſequentes in ſuas partes traherent. Ex quo etiam Tiberius Druſum Conſulem deſignatum exemit dicendæ primo loco ſententiæ, quod alii civile rebantur, ne cæteris aſſentiendi neceſſitas fieret, *Tacit. l.* 3. *Annal. c.* 22. *n.* 6. *Vid. Forſtner. in notis ad Tacit. l.* 1. *c.* 74. *n.* 6. *pag. mihi* 113. Etenim Senatorum ſententiæ debent eſſe liberæ; nam ſi vel nolit ſententiam ſuam liberè dicere, vel non debeat, non debebit Senator dici. Laudabile eſt Priſci Helvidii factum, quod refert *Arrianus in Epict. l.* 1. *c.* 2. Ad hunc, cum Veſpaſianus miſiſſet, ne in Senatum veniret; Penes te, inquit, eſt, ne me Senatorem eſſe patiaris; quamdiu autem me loco non moves, eſt in curiam mihi veniendum. Age, at ingreſſus taceto; inquit, ne me roga, & tacebo. At eſt mihi rogandum, & mihi dicendum, quod rectum puta vero. Verum ſi dixeris, occidã te. Quando ego tibi dixi, me immortalem eſſe? Tu tu-

Vota debent eſſe libera.

um

um facies, ego meum, tuum eſt occidere, meum, mori non trementem.

Corruptæ Reip. ſignum, Vota non relinquere libera.

53. Eſt ergo ruinoſæ Reipubl. indicium, in qua *cum Plino in Panegyrico c. 76. n. 3.* videmus curiam elinguem, in qua dicere, quod velles, periculoſum, quod nolles, miſerum eſt. *Et poſt*: Ubi nemo antè loqui, nemo hiſcere audet, præter miſeros illos, qui primi interrogantur: cæteri verò defixi & attoniti ipſam illam mutam ac ſedentariam aſſentiendi neceſſitatem cum animi dolore perpeti coguntur, & quod unus ſolus cenſet, cæteri omnes ſequuntur. Unus ſolus cenſebat, quod ſequerentur omnes, & omnes improbarent, imprimis ipſe, qui cenſuerat. Adeo nulla magis diſplicent omnibus, quam quæ ſic fiunt, tanquam omnibus placeant. Tum autem res recto ſtat talo, ſi, *ut iterum l. c. loquitur Plinius*, Vincit ſententia non prima, ſed melior. Ex qua cauſa laudatus Plinius Trajanum Imperatorem optimum pluribus commendat, quando ait: Interrogavit quisque, quod placuit, diſſentire, diſcedere & copiam judicii ſui Reipubl. facere tutum fuit. Siquidem in Sententiis nulla præcisè ſpectanda ætas eſt, nulla dignitas: *cum dignitates ſæpiſſimè à fortuna, quæ cæca eſt, obveniant*: neque canities ſemper ſapientiam infert: aliquando affectibus magis, quam ætas virilis obnoxia eſt: Dann Alter hilfft für

kein

ſein Thorheit. Senes ſæpè ambitioſi ſunt, ſemper avari. Ubi contra Viri juſtiores ſunt, cumprimis in ultimo dignitatis gradu conſtituti.

54. Sciendum autem eſt, obtinere poſſe receptum cujusq; curiæ morem, niſi forte melius ſit, id Principis, aut Præſidis prudentiæ relinqui, ut attenta rei propoſitæ qualitate, vel ætatis, vel dignitatis ordinem, vel nullum, vel inverſum ſervet: Cumprimis ſi non prima, ſed melior vincere debeat. *Andreas Rey de Concil. ſeu Conſult. diſcurſ. 6.* rem ita exponit: Non abs re eſt, ſi ordinem certum ætatis ac dignitatis princeps ſervet, ita tamen ne ſe ad iſtum ordinem adſtringat: interdum etiam inverſo utatur. In arduis negotiis, quæ ſubitam poſtulant expeditionem, princeps callidiora & ſubtilia ingenia, ad choleram vergentia poterit præmittere: ad melancholiam autem inclinantia poſtponere: Nam ut illa repentè invenire; ita hæc inventa expendere &dijudicare poſſunt. *vid. Hippolit. à Collibus de Conſiliis pag. mihi 65.*

Ratio votandi in Senatu Aulico Imperii Germanici.

55. Ut etiam B. L. aliquo modo ſciat, quomodo ſe habeat ratio votandi *in Senatu Aulico Imperii Romano-Germanici*, non abs re fore exiſtimamus, ſi ipſa verba ordinationis Aulici Judicii, Imperatoris Ferdinandi I., glorioſiſſimæ memoriæ, Caroli V. fratris, Auguſtæ Vindelicorum, Anno 1559. 3. Apri-

Aprilis conſtitutæ, ſimus allaturi, quæ ita habent: Hierumb und damit wir nun ſolch unſer Chriſtlich und Keyſerlich vorhaben ſo viel mehr in wirckung bringen / und gemeiner Chriſtenheit/auch unſern deß H. Reichs/ unſerer Königreich/ Land und Leuth / hohen ſchwehren obligenden Hauptſachen/ berümbter und fruchtbarlicher nachdencken / und denſelben ſtattlich vor ſeyn/ und außwarten; und dannoch darneben männiglichen/ſo uns umb hülff und handhabung anſuchen / ordentlichs/ Ufrichts / Fürderlichs und beſtendigs Recht und Expedition mittheilen / und deſſen verhelffen möchten: So haben wir biß anhero / zu Beförderung nnd Verrichtung der Juſtitia und Partheyen ſachen / unſern Käyſerlichen Hoffrath erhalten / welchen wir auch hinfür an gleicher Maſſen erhalten/ und der Nothdurfft nach/mit noch mehr anſehnlichen/erbarn/frommen/geſchickten und gelährten Perſonen/ auß dem Reich und unſern Nieder-und Ober- Oeſterreichiſchē Landen erſetzen / und alle Juſtiti und Partheyenhändel(auſſerhalb deren ſo Finantz-Sachen/ und unſer Kammergut belangen) vorberührten unſern Hoffrath / zu erledigen / remittirn und weiſſen wollen : doch wo ſolche Sachen fürfielen / die zugleich berührt unſer Kammer-gut/ und die Juſtitien betrefen/ als da ſeynd Cauſæ remiſſionis actorum in Proceſſen,

ceſſen, ſo durch unſere Kammer Procuratores angeſtellt worden / darin wollen wir uns / wohin die ſelben zu weiſſen ſeyn ſollen / Maß und Ordnung zu geben vorbehalten haben. Und damit ſolcher unſer Hoffrath jederzeit uns zu Ehren und reputation anſehnlich gehalten werde / ſo haben wir zu derſelben Hoff-Raths Præſidentem fürgenommen und verordnet / den wohlgebornen / unſern und deß Reichs-Erb-Kammerer / und lieben getreuē / Carln Graffen zu Zollern / unſern Rath / und wollen / das derſelb unſers Hoff-Raths vorgeher ſeyn u. die Umfrag haben / u. an jedē Orth / da wir ein zeitlang unſer beharzlich Läger haben / verordnung thun / damit jederzeit zuhaltung ſolches unſers Hoff-Raths in unſern Herbergen / oder ſo es der Zimmer halben nicht ſeyn kan / an andern gelegen nahenten Orthen / darben ein ehrlich Zimmer und Gemach verordnet / und darin all Fürfall und Juſtiti und Partheyen Sachen gehandelt / auch daſſelb Zimmer durch den Hoff Rathsdiener oder Thürhütter (welcher ſein Auffſehē auff bemelden unſern Præſidenten haben ſoll) verwahrt und ſauber gehalten werde. Doch iſt unſer Will und Meinung / wo wir einen Fürſten auff den Reichs Tägen / in unſern Reichs Hoff-Rath gebrauchen / das bemelder unſers Hoff-Raths Præſident demſelben den Vorſitz / umb die Umfrag und Beſchluß

im

im Hoff-Rath zuſtehen und folgen laſſe / die Zeit die er im Rath ſelbſt zugegen ſeyn würd. Ob auch je bißweilen unſer Præſident, von unſern Hoff reiſſen und abweſent ſeyn würde / wollen wir allwege einen auß unſern Hoff-Räthen fürnehmen / ſo die Zeit ſeines abweſens in unſern Hoff-Rath vortrette. Und ſollen unſere Hoff-Räthe alle / unſern Præſidenten, oder in abweſen ſeinen Verwalter / in Hoff Raths-Sachen gehorſam ſeyn / und auff erfordern allzeit gutwillig erſcheinen / und ſich gebrauchen laſſen / auch keiner über die angeſetzte Stund außbleiben / welcher aber ſolches ohn Erlaubnuß thun / und ſäumig ſein würde / der ſoll von unſern Præſidenten, oder ſeinem Verwalter derhalben angeſprochen / auch von ihme die Urſach ſeines außbleibens vernommen werden / damit ferners unſer Nohtdurfft nach einſehen beſchehen und gehandelt werden möge. Ob auch einer oder mehr unſer Hoff-Räthen anſuchen würden / Jhnen ein zeitlang von unſern Hoff zu ſeyn zu erlauben / ſoll ſolches ohne vorwiſſen unſers Præſidenten und der Cantzeley nit beſchehen / ſonder zuvor die Gelegenheit der Zeit / auch die Anzahl gegenwärtiger Räthe / deßgleichen ob die Sachen / ſo ſelbiger Zeit zu erledigen ſeynd / ſolch der Hoff-Räthen abreiſſen / erleiden mögen / oder nicht / fleiſſig bedacht werden; doch daß nach altẽ Gebrauch

den

den Räthen / ſo beweibt / 8. und den andern ſo ledigs Stands / 6. Wochen jedes Jahrs ihren eigenen Sachen abzuwarten / und zu verräiſen unbenommen ſeyn ſoll.

Alle und jede verſchloſſene und offene Schreiben / Supplicationes, Brief und dergleichen / ſo an uns geſtellet / und uns nicht zu unſern Händen überantwortet werden; die ſoll und mag unſer Vice-Cantzler annehmen; die verſchloſſene / ſo nechſt zu unſern eigenen Händen ſtehen / auffbrechen / beſichtigen / und folgens die obermelde alle / nach Geſtalt und Gelegenheit einer jeden Handlung / entweder bey uns / in unſern geheimen Rath anbringen / oder aber in andere unſere verordnete deß Heil. Reichs / auch Hungeriſche / Böhemiſche und Oeſterreichiſche Hoff- und Cammer-Räthe austheilen. Und wo die Supplicationes und andere Schrifften / zu unſerer Secretarien Händen kommen / ſollen ſie den Tag / Monat und Jahr-Zahl ihres Empfangnus alsbald darauf verzeignen / damit auch die Juſtitien und Partheyen Sachen und zu forderſt die armen Leute / ſo uns etwan auß Noht / und zum theil aus Einfalt / aus dem Reich und unſern Erblanden / ferne Weg nachräiſen / umb ſo mehr befördert / und vor langen Auffhalten / und beſchwerlichen Unkoſten verhüttet / auch Armuth halb / unſer gebührlich Hülff /

Handhabung und Beförderung niemand verzogen noch verlängert werde/ ſo ordnē und wollen wir / daß unſere Hoff-Räthe täglich zu Morgens / in ihr ausgezeichneten Rath-Stuben/ ordinariè zuſammen kommen/und die Sachen ſo jeder Zeit fürfallen / und für handen ſein werden / in unſern Namen und an unſer Statt fürnemen/und die nicht übereylen/ſondern ſtattlich/und mit höchſten Fleiß hören / berathſchlagen und erledigen / auch unſer Præſident, oder in ſeinen Abweſen / ſein Verwalter die Umbfrag haben. Dieſelbe Umbfrag ſoll gewexelt / zwiſchen den Layſchen und gelahrten Räthen je einen umb den andern gehalten / und mit der Frag der erſten Stimm / in Sachen die Juſtitien in H. Reich betreffendt / an den Gelährten; Aber in Staads-Landts-und andern Sachen/ an den Layen angefangen werden; Jedoch ſoll unſer Præſident in denſelben nach Geſtalt und Gelegenheit der Sachen Lands-Art und voriger relationen nicht befahrt werden. Unſer Præſident ſoll auch daran ſeyn / daß ein jeder aus unſern Räthen ſein Stimm anderſt nicht dann in ſeiner Ordnung gebe / einen andern nicht fürgreiffe / noch in die Rede falle/ ſondern ſich hierinnen aller gebürlichen Beſcheidenheit befleiſſe; Jedoch wo einer vermercken würd / daß vorgegebene Stimm von den andern nicht recht ver-

verſtanden worden / und ſich deßhalben erklären; oder wo er aus denen Urſachen / ſo durch die nachſtimmende Räthe angezeiget / ſein vorige Meynung ändern oder verbeſſern wolt / daß ſoll ihme mit kurtzen Worten zu thun unbenommen ſeyn. Deßgleichen ſoll auch unſer Præſident darob ſeyn / daß umb Abſchneidung willen aller überflüſſiger Länge / keiner aus unſern Räthen daß jenige / ſo verleſen: oder durch einen andern Raht in ſeiner Stimm erzehlet / wider unnothdürfftiger Weiß widerholet / und repetirt werd / ſondern ein jeder / der nicht etwas fürzubringen / ihme mit kurtzen Worten eines andern Meynung gefallen laß. Auff beſchehene Umbfrag ſoll unſer Præſident beſchlieſſen / und die mehrere Stimmen ihren Vorgang haben; Jedoch wo die Stimmen in zimblicher Anzahl zertheilet / und unſer Præſidens vermercken will / daß beyder / oder mehrertheil Meynung mit ſtattlichen Urſachen beſtärckt / ſo ſoll er auſſerhalb unſers Fürwiſſens nicht beſchlieſſen / ſondern die Sachen mit kurtzer Erzehlung jedes Theils gedencken / zuvor an uns gelangen laſſen / und ſonſt gemeiniglich in allen Handlungen manniglichen gleichs / Göttlichs Rechtens oder Abſchieds / auch förderlicher Abfertigung aus unſern Hoff-Raht / oder wo Noht / bey uns treulich verhelffen / alles nach ſeinen beſten

Verſtand und Vermögen. *Vid. Sigmund.* Freyberger *Diſcurſuum Germaniæ perturbatæ & reſtauratæ part. 2. diſcurſ. 13. pag. mihi 130. & ſeqq. Addatur* Lehemann / von Reichs-handlungen in Religions Frieden *l. 1. c. 38. tit. 1. pag. mihi 157. 158.*

56. Placet autem occaſione hujus Aulici judicii conſtitutionis, duas adhuc alias, ad naturam Senatus facientes quæſtiones ventilare, & quidem 1.) *An Senatores ſalva ſenatorum dignitate in ſuffragiis, ſibi invicem contradicere, ſeq; mutuo oppugnare poßint? Vid.* Graswinckel *in Salluſtium, pag. m. 425.* Hic quamvis nihil magis hominibus omnibus deberet eſſe in votis, quàm ut omnes cujusque collegii ſodales, & quidem collegii in finem Juſtitiæ inſtituti, uno eodemque modo, iisdemque veritatis ſcilicet mediis ad metam juſtitiæ graſſarentur, ut inde nullis diſcordiis, contradictionibus ac rixis locus daretur: hoc tamen magis optandum eſt, quàm ſperandum. Nam ut nihil dicam de eo, quod *in l. 17. §. 6. ff. de Receptis, qui arbitrium rec.* homines dicantur ad diſſentiendum faciles eſſe: item: duos rixam facere *l. 4. §. 3. ff. de Vi bonor. raptor.* quod item hominibus multæ viæ ad malum ſint, Et quoniam omnium hominum penè ſimilis natura eſt *l. 13. in f. C. de Contrahend. & Committend. Stipulat.* Videtur his ſuppo-ſitis,

Quæſtio.

An Senatoris votũ collegæ impugnare poßit, ſalvo jure?

ſitis, impoſſibile ſi non penitus, ad minimum tamen admodum difficile eſſe, ut multi conveniant, nec inter ſe diſſentiant. Hoc ſolùm dicam, quod hodiè etiam Sapientes ſtudia partium & affectus humani in diverſa rapiant, ut plus vel amori, vel odio, quàm Juſtitiæ & Veritati tribuant. Et hoc non ſolùm apud illos, qui in infimis ſubſelliis collocati, ſed etiam apud eos, qui cæteris præſidere debent, obtinet. cumprimis ſi ex infima peregrinorum plebe ad honoris faſtigium per fas, nefasque ſint evecti, de quo tamen paulò poſt pluribus agam. *Aſperius nihil eſt humili cum ſurgit in altum.*

57. Utut autem humana natura quodammodo ad delicta labatur, *Novell. 5. c. 2. inf.* non tamen facilè procedere debent ad litigandum, *Inſtit. de Pœna temerè litigant. in princip.* Dicitur autem facilè ad litigandum procedi non debere. Etenim ſi quivis Senator juramento obſtrictus vivat, ut velit ſine προσωποληψία quod ſibi verum & juſtum eſſe videtur, adferre & pronunciare: alium autem in Senatu eodem animadvertat affectibus indulgentem, & juſtitiæ, vel ex ira, vel ex odio, amicitia aut conſanguinitate, vim inferentem, niſi velit perjurus fieri, cogetur collegæ ſuo contradicere, eundemque ex rationibus tamen, *modeſtè* quiquidem initio, ſi verò altet refractariè cedere nollet, *acriter* quoque oppugnare, nec

ſion juramenti ſui admonere. Adducit aliquod Senatorium Juramentum *Philipp. Camerar. in Horis Subciſiv. Cent.* 1. *c.* 33. Ego NN juro me ſententiam velle dicere ſecundum leges & conſulta à Civitate approbata, & ſecundum decreta Romanorum & leges, quibus noſtra Respubl. adminiſtratur, in reſpectu utilitatis patriæ pro viribus meis, non aliter quàm is fecit, qui Senator fuit laudatiſſimus patriæ ſuæ vel Romanæ, vel Græcæ Civitatis, neque gratiæ, neque odio, neque muneribus patiar ſervire judicium conſultumve meum, neque privato addicam ſententiam meam, neque me ulli parti aut homini adjungam, ſed tantùm communi utilitati, aucturus pro viribus Rempubl. ita ut Deus & boni viri volunt. Unde *Curiæ Ratubonenſi* aureis literis in tabula lignea inſcriptum eſt: *Quisquis Senator Curiam officii cauſa ingrederis, ante oſtium privatos affectus omnes abjicito; iram, vim, odium, amiciriam, adulationem: Reipubl. perſonam, & curam ſubjicito. Nam ut aliis æquus aut iniquus fueris, ita quoq; Dei judicium expectabis, & ſuſtinebis. Vid. Franciſc. Swertius in Deliciis Chriſtiani Orbis, pag. mihi* 561. Accedit ad hanc ex juramento obligationem

Cur plures in Senatu. etiam illud, quod Senatus conſtet ex pluribus & non ex uno, Quod ſi verò ſemper uni, puta vel ſeniori, vel etiam principi Senatus

natus datum eſſet, ſententiam à ſe dictam debere obtinere, inque eandem reliquos Senatores ire, quid opus eſſet pluribus ſententiis, pluribus ſenatoribus? an non ita unius *dominatus* conſtitueretur? ſi pro lubitu, & citra contradictionem primi aut ſenioris ſententia valere deberet: novimus enim, ſenes affectibus plus juſto indulgere, & omnia pro autoritate dicta velle: tum maximè ſi ex ſua ſententia ſibi quid vel honoris, favoris, aut lucri affulget, aut ſpei eſt.

58. Hinc itaque iſtis collegis cum παῤῥησίᾳ contradicendum eſt, ſi quid rectius noveris, nulliusque odium in te concitatum metuendum eſt. Ita totus dies in Senatu conſumptus fuit altercatione Lentuli Conſulis, & Caninii Tribuni plebis, *teſte Cic. l. 1. Epiſt. ad Familiar, Epiſt. 2.* Sic Pompejus in Senatu à Catone aſperè & acerbè omnium magno ſilentio accuſatus eſt, *eod. teſte l. c. Epiſt. 5. Item l. 2. Epiſt. 3. ad Quint. Fratrem.* Contentionem Craſſi in Senatu *vide deſcriptam à Cicerone l. 3. de Orat. pag. mihi 257. lit. B. & C.* Non tamen contradicendum eſt ulli collegarum, eo fine, ut novum modò aliquid afferas, aut quod tibi perſuadeas, te ſolum ſapere: hoc enim maximè inſipere eſſet, & periculis pleniſſimum: talem enim hominem, juſto odio reliqui proſequuntur, qui vult omnes ſolum ex ore ſuo ſapere. *Bene hoc notandum*

Sed placidè primò ſuam ſententiam proponat, & aliorum quoque, ſi juſtitiæ ſint conformes, amicè ferat: nemo enim inimicus ſit conſilio, cujus ipſe autor non eſt: deinde, ſi aliorum ſententias refellere conetur, quod affectibus illicitis nitantur, modeſtè id faciat, nec veritati vim inferre patiatur: cum hac tamen cautela, ut verborum faciat compendium, & honori ac famæ collegarum parcat, niſi prius ab ipſis eſſet laceſſitus, aut injuria affectus, tum enim *Retorſio* omni jure conceſſa eſt, & *reconventio*. Extra hunc caſum, omni verborum honore, & mitiſſimo dicendi genere utendum, & contentioſæ voces in omni conventu fugiendæ, iidemque modi loquendi, quibus ſe plus cœteris vidiſſe, ſignificari poſſet. Neque talis juſta contentio fructu caret: impedit enim in malum contra alios conſpirationem, aliorumque ſuppreſſionem. *Vid. pluribus de hac re diſcurſ. noſter Politicus de Faction. c. 6.*

Retorquere licet.

59. Ex jam ventilatâ quæſtione, altera quoque dependet, quæ eſt: *Num Senator in Senatorem habeat jus?* ſive: *An Senator alterum Senatorem, ſi ab illo aliqua ſit affectus injuria, ſalvâ adhuc Senatoriâ dignitate, convenire, & juris poſtulare poſſit, etiamſi Senatus illius eſſet Princeps?* Diximus §. præced. Collegam, ſi collegæ ſui ſententiam conetur refellere, debere honori & famæ parcere,

An Senator in Senatorem habeat jus

in tantum ſcilicet, in quantum ab illo prius læſus non fuerit; hinc ſtatuendum eſſe videtur, ſi aliquis à collega ſuo læſus, & injuria affectus, quod contra illum poſſit inſtituere actionem, & ſe defendere; & non tantum paria retorquere, ſed etiam coram judicio ſuperiore convenire; cum hoc in genere pares ſint, quæ paritas quidem ordinem tamen non excludit. Proinde licet ſit Senatus illius Princeps & Caput, ſive dignitas illa ſit perpetua, ſive ambulatoria, manebit tamen collega indeque in ſuum collegam jurisdictionem non habet, *Cujac. l.* 7. *Obſervat. c.* 17. Sic Abbas tam-diu collegæ nomen retinet, quamdiu ab aliis ſuam patitur vinci ſententiam, *teſte Jacob. Martini in Pol. l.* 2. *cap.* 26. *pag. mihi* 800. Contra ſi unus autoritate & poteſtate nimium excedit, ita ut non tantum in ſingulos, ſed univerſos quoque jus habeat, qualem ſe in Concilio facit Pontifex Romanus, amplius collega non dicitur. *Bodin. l.* 3. *de Republ. c.* 7. *pag. mihi* 517. Præterea notiſſimi juris eſt, parem in parem non habere imperium, *l.* 13. §. 4. *ff. ad SC. Trebell. item cap.* 20. §. *Quamvis X. de Elect. & electi poteſtate.* Cum verò collegæ quoad hoc communiter pares ſint, nullus in alterum jus habebit, licet etiam pro tempore primus eſſet. *Vid. Fabius Albergatius contra Bodinum l.* 2. *c.* XI. *num.* 9.

M 5 Acce-

Accedit, quod etiam aliquando ille, qui reliquis præſidet, ſi ſuffragia ſint paria & differentia notabiliter, ſuo calculo litem dirimere non poſſit, uti *ſupra* §. 55. adductum fuit. Hinc in Ariſtocratia, ubi regimen eſt penes plures conjunctim ſumptos, nemo alterum Senatu movere poteſt, aut in alterum jus habet, niſi ab omnibus in id conſentiatur: & ſi alius alterum velit injuria afficere, apud reliquos conveniri debet. Imò, licet aliquando reliqui conſentiant, nihilominus judicis ordinarii cognitio erit, *affirmante Bodino l. c. pag.* 522. Quid, quod Abbas à monachis in jus vocari poſſit, non tantùm ſi de privato, ſed etiam ſi de publico judicio quæratur: quin etiam ab ejus ſententia libera ſit provocatio *Bodin. l. d.*

60. At *dicis*: Plerumque, qui in Senatorum collegium aſſumuntur, ſolent ac debent eſſe magnanimi, qui ſunt viri præſtantiſſimi & optimi, nemini injuriam facientes; ignominiam contemnentes, utpote quæ in illos non cadat, ajente *Philoſopho* 4. *Ethic. c.* 3. Reſpondet autem *Ariſtoteles* 7. *Polit. c.* 7. Nec magnanimi, inquit, intractabiles natura & difficiles habeantur præterquam in eos, à quibus injuria laceſſuntur: quod tamen in familiares & amicos, ſi qua injuria ab eis ſe affici putent, magis uſuvenit, idq; non ſine ratione, à quibus enim iuvari ſe beneficio oportere

tere putant, ab eis, tum offenſam ferre, tum etiam hoc beneficio privari exiſtimant. Unde proverbium natum eſt, *difficiles fratrum diſſenſiones*: &, *qui valdè amant, valdè odio habent*. Hæc Ariſtoteles: quibus non obſtant verba *Senecæ*: Si magnanimus quis fuerit, nunquam judicabit ſibi contumeliam fieri. De inimico dicet; non nocuit mihi, ſed animum nocendi habuit: & cum illum in poteſtate ſuâ viderit, vindictam putabit, vindicare potuiſſe: cum magnum ac honeſtum vindictæ genus ſit, ignoſcere. *Hæc Seneca.*

Qualis ſit inter Collegas imparitas? An juris, & poteſtatis? N. An Ordinis? A.

II. Dicis: Collegas nec eodem imperio ac poteſtate, nec eadem conditione eſſe, neceſſe eſſe, *teſte iterum Bodino l. c.* Et per conſequens, ille qui majoris eſt poteſtatis, ſuperiorisq; imperii, habebit utiq; jus coërcendi, ſi non univerſos, attamen ſingulos: adeoq; non ubique valebit illa regula: par in parem non habet imperium, *l. 4. ff. de Recept. Arbitr.* ℞. Diſtinguendum eſſe puto inter collegia & inter Facultates. In uno enim eodemq; collegio diverſæ poſſunt eſſe Facultates, quarũ una altera ſit major ac dignior, v. g. Theologia, Juridicâ, Medica, Philoſophica, hæc tamen majoritas, ut ita loquar, aut major dignitas, nõ ſtatim tollit paritat cẽollegii, quatenus omnes inter ſe collegæ ſunt, nec etiam alteri in alterum jurisdictionem aut poteſtatem tribuit. Hoc quidem facilè largior, in tali

Collegio, ubi omnes inter ſe pares ſunt ratione poteſtatis, aliquem tamen eſſe poſſe cæteris ſuperiorem: verùm ſolùm *ratione ordinis*, non ſtatim ratione poteſtatis in ſuos collegas: v. g. ut aliquis jus habeat Senatum convocandi, vota colligendi, cauſas proponendi, & ſimilia. Et licet quis diceret, hoc modo aliquem duplicem perſonam gerere, nimirum collegæ & Principis Senatus, ut in ſimili habetur *l. 3. ff. de Adoptionib.* dicendum tamen eſt, in actibus contentioſæ jurisdictionis admitti non poſſe, quemadmodum nec teſtis quis in ſua cauſa eſſe poteſt. *Vid. Buſius pag. mihi 29. item Menochius in Arbitrariis Judicum quæſtionib. caſ.* 438. *item Caſ.*458.*n. XI.*

Princeps Senatus poteſtas.

61. Ut autem Principis Senatus prærogativa rectius intelligatur, ſciendum eſt, Conſulis ſeu Principis officium conſiſtere in poteſtate convocandi & habendi Senatum: in poteſtate referendi ad eum, negotiaque proponendi: in jure rogandi, ſeu colligendi ſingulorum Senatorum ſententias: in poteſtate cuſtodiendi ſigillum, claves urbis, reſignandi literas ad Senatum aliunde miſſas, recipiendi libellos ſupplices; reſpondendi nomine collegii: & denique in poteſtate executionem concluſorum alii demandandi, & dimittendi ſenatum. Convocatio illa fit per præconem, vel ſignum datum, ad locum publicum, ſolitum & ad hoc deſtinatum, *l. ult.*

l. ult. C. de Legationibus, l. 2. C. de Decurionib. Abſente verò Conſule ſeu principe, hoc officium Senatori ſeniori competit, vel illi, qui ex ſenatu ad hoc à rectore eſt ordinatus, *Loſæus de Jure Univerſitatis part. 2. c. 3. num. 69. & ſeqq.*

62. Porrò Senatus alius fuit *Legitimus*, alius *Indictus*. Legitimus ille dicebatur, qui vel Lege, vel more certis ſemper diebus habebatur, ut Calendis, Nonis, Idibus. *Sueton. in Auguſto c. 35.* ait Auguſtum ſanxiſſe, ne plùs quàm bis in menſe legitimus ſenatus haberetur, Calendis ſcilicet, & Idibus: nevè Septembri, Octobrivè menſe ullos adeſſe alios neceſſe eſſet, quam ſorte ductos per quorum numerum decreta confici poſſunt. *Spartianus in Adriano*, Senatui legitimo, cum in urbe vel juxta urbem eſſet, ſemper interfuit. *Edictus* autem, *vel indictus* erat, qui ob negotia incidentia repente indicebatur. Sive Indictus dicebatur, qui reliquis diebus menſis, qui modo comitiales non erant, Magiſtratuum vocatu cogebatur. *Capitolinus in Gordiano*: Non legitimo, ſed indicto Senatus die conſul iam domi conventus, cum Prætoribus, Ædilibus & Tribunis in curiam venit. *Tranquil. in Cæſar. c. 80.* Poſtquam Senatus Idibus Martiis in Pompeii curiam edictus eſt, facilè tempus & locum prætulerunt. Comitialibus autem diebus idcircò ſenatus non

Senatus alius Legitimus.

alius Indictus

Digitized by Google

non indicebatur, ne Senatores à ſuffragia ferendo avocarentur. Sicuti verò *dierum* in habendo Senatu habebatur ratio, ita quoque *cujusvis diei temporis ſpecialis erat menſura*; quandoquidem, docente *Gellio l.* 14. *c.* 7. Senatusconſultum nec ante exortum, nec occaſum ſolem factum ratum erat. Et *Senec.* 2. *de Tranq. Vitæ*; Majores noſt. inquit, nov. relationem poſt horam decimam in Sena. fieri vetabant. *Addatur ſupra* §. 50. Imò Sena. toto Febr. haberi non poterat, *teſte Cic. ad Lentulum*, niſi perfectis aut rejectis legationibus, *l.* 1. *ad Fam. Epiſt.* 4. *item Orat.* 6. *in Verrem, pag. mihi* 105. *l. C. item l.* 2. *ad Q. Fratrem Epiſt.* 12.

In Senatu etiam fuit habita ratio Temporis & Numeri.

63. Non ſolùm ulterius in Senatu ratio habita fuit temporis, ſed etiã reſpectu Senatorum *Numeri*, in faciendis ſenatusconſultis. Hinc quivis ſenator Conſuli dicere ſolebat, *Numera Senatum*, cum impedimento volebat eſſe, quo minus fieret *SC.* ſi tot non eſſent Senatores, quo numero liceret *SC.* ſcribi, ut expectaretur, donec frequentior Senatus haberetur. Numerum autem illum *Dio l.* 54. quadringentorum fuiſſe ſcribit; Nam de Auguſto loquens: Cum videret Senatum, inquit, non ſemper frequentem convenire, decrevit, ut ejus conſulta etiã à paucioribus quàm quadringentis fierent. Prius enim non aliter, quam eo numero conſtante rata eſſe

eſſe poterant. *Calvinus* dicit, hæc intelligenda eſſe, tum de poſtremis temporibus, quibus usque adeò creverat: tum de majoribus rebus, de quibus Senatus conſuleretur. Nam ſi ſuperiora tempora ſpectemus, *Livius l. 39. c.* 18. ubi de Bacchanalibus loquitur, ſcribit SCto cautum fuiſſe, ut ſi quis tale ſacrum, neceſſarium eſſe duceret, apud Prætorem Urbanum profiteretur: Prætor Senatum conſuleret, ſi ei permiſſum eſſet, dum in Senatu centum non minus eſſent, ita id Sacrum faceret; cum ne plus quinque ſacrificio intereſſent. *Pedianus* autem de re non ita magni momenti loquens, *in Corneliana* ſcribit, lege Cornelia cautum fuiſſe, ne quis in Senatu ſolveretur legibus, niſi ducenti adfuiſſent. *Prudentius* trecentos fuiſſe neceſſarios affirmat, quando ita ſcribit.

Hic conſulta Patrum ſubſiſtere conſcriptorum,
Non aliter licitum priſco ſub tempore, quam ſi
Trecentum ſenſiſſe ſenes legerentur in unum.

In ſimili re videtur *Cicero ſcribere l. 2. Epiſt. 12. ad Q. Fratrem*: Domitius ad numerum judices non habuit. Hodie numerus Senatorum pro negotiorum multitudine & Civitatis amplitudine, alius atque alius eſt, uti rectè docet *Bodinus l. 3. de Republ. c. 1.*

64. Verùm ſi fortè uſu venerit, ut non tam multi, quàm opus erat, convenirent, Senatus quidem habebatur, decretumque perſcri-

perſcribebatur; non tamen quaſi ratum, effectumque habebatur, ſed erat autoritas, ut Senatus ſententia nota ac teſtata eſſet. Quod idem etiam obſervatum eſt, ſi quando in loco non legitimo, aut die non idoneo, aut non legitimo edicto, ſed ambitioſè Senatus coactus eſſet, aut nonnulli Tribuni plebis interceſſiſſent. Tunc enim *SC.* fieri non poterat. quid tamen placuiſſet, teſtari reliqui volebant: ſunt verba *Dionis l 55.* Id quod inſuper ex verbis *Ciceronis* patet *l. 1 Familiar. Epiſt.* 2. De his rebus Senatus autoritas graviſſima interceſſit: cui cum Cato & Caninius interceſſiſſent, tamen eſt perſcripta. Ad quem locum videatur *Manutius in Comment. pag. mihi 53.* Ubi obiter notandum, ſummam ſenatus voluntatem interdum certis de cauſis impediri potuiſſe, ut ſcilicet fieri SC. non poſſet; & quidem I. ſi legitimus Senatorum numerus non adeſſet. II. Cum dies tolleretur. III. Cum quis Tribunus plebis moram interponebat. IV. Cum quis intercederet: de quibus videatur §. *præcedens*, & §. 59. *Cicero in orat. pro Sextio & Gell. l. 14. c. 7. Valerius Maximus de Tribunis plebis refert l. 2. c.* 1. quod curiam intrare ipſis non conceſſum fuiſſet: ante valvas poſitis ſubſelliis, decreta patrum examinaſſe: quod tamen ita nudè accipiendum eſſe negat *Manutius in Comm. ad Epiſt. Cic. ad Famil. l.* 1.

Senatus quomodo impediri potuit

l. 1. Epiſt. 2. pag. mihi 46. dicitque, Valerium fortaſſe ad priſca tempora reſpexiſſe: tempore enim Ciceronis illa videntur conſuetudine mutata eſſe, uti oſtendit pluribus exemplis *l. c.*

65. In Senatusconſultis ſcribendis moris erat, ut ea res, de qua ſententiæ rogatæ fuerant, ſummatim exponeretur. v. g. Quod Marcus Marcellus Conſul verba fecit de Provinciis, de ea re ita cenſuerunt. Vel: Marcus Pomponius Senatum conſuluit. Quod verba facta ſunt de Philoſophis & Rhetoribus, de ea re ita cenſuerunt. Neque hoc ſolùm moris erat, ſed notari quoque nominatim oportuit, in cujus ſententiam SC. eſſet factum, id quod *conſtat ex Epiſt. 1. Cic. l. 4. ad Atticum*: Factum eſt decretum in meam ſententiam, ut cum Pompejo ageretur, ut eam rem ſuſciperet, lexque ferretur. *Ratio ſcribendi Senatus conſulta*

66. Hæc Senatusconſulta juſta non fuere, niſi facta fuerint illis in locis, in quibus Senatus haberi deberet. Alibi autem quam in locis, per augures conſecratis, quæ templa vocabantur, Senatum haberi non licuit, *teſte Gell. l. 14. c. 7.* Propterea & in Curia Hoſtilia, & in Pompeja, & poſt in Julia, cum profana illa loca fuiſſent, templa eſſe per augures conſtituta: ut in iis Senatusconſulta more majorum juſta fieri poſſent. *Servius in illud Æneid. l. XI. v. 235.* *Senatusconſulta ubi debebãt fieri.*

— *Alta intra limina cogit.*

quæritur, *inquit*, cur ad privatam domum convocetur Senatus, qui non niſi ad publica & augurato condita loca convenire conſuevit. Sed ſcimus, domum Latini augurato conditam & eandem tàm templum fuiſſe, quàm Curiam. Namque in ſuperioribus legimus tectum auguſtum i. e. augurio conditum, *l. 7. Æneid. v. 170. & paulò poſt v. 173.*

Hinc ſceptra accipere & primos attollere faſces
Regibus omen erat: hoc illi curia templum.

Meritò ergò ad domum Regis, quaſi ad locum publicum, convocatur Senatus: nam ut ait iterum *l. 7. Æneid. v. 193.*

Tali intus templo Divum: patriaq; Latinus
Sede ſedens. ————

Idcircò etiam in Palatii atrio, quod augurato conditum eſt, apud majores conſulebatur Senatus: ubi etiam arietes immolabantur. *Hæc Servius.* Hanc verò *Servii ad l. X I. Æn.* quæſtionem *Johannes Ludovicus de la Certa futilem vocat, pag. mihi 579.* ſed puto præter rationem, & more Jeſuitico.

Senatores in Senatū venire cogebantur.

67. Ut autem hæc Senatusconſulta non pro lubitu cujusvis, & quidem infrequentia, ſive illegitimo Senatorum numero, impedirentur, Senatores, niſi in Senatum vocati venirent, coërceri poterant. Cogebantur enim Senatores in Senatum ire, id quod patet *ex Philippica 1. pag. mihi 825. lit. A.* ubi *Cic.*

de in.

de injuria M. Antonii conqueritur, his verbis: Quid tandem erat cauſæ, cur in Senatum heſterno die tam acerbè cogerer? ſolúsne aberam? annon ſæpè minus frequentes fuiſtis? an ea res agebatur, ut etiam ægrotos deferri oporteret? Annibal, credo, erat ad portas, aut de Pyrrhi pace agebatur: ad quam cauſam etiam Appium illum & ſenem & cæcum delatum eſſe, memoriæ proditum eſt. De ſupplicationibus referebatur: quo in genere Senatores deeſſe nõ ſolent. Coguntur enim non pignoribus, ſed eorum, quorum de honore agitur, gratia. Quod idem fit, cum de triumpho refertur. Ita ſine cura conſules ſunt, & penè liberum ſit, Senatori non adeſſe. *Et paulò poſt*: Quis autem unquam tanto damno Senatorem coëgit? aut quid eſt ultra pignus aut mulctam? verba ſunt *Ciceronis*, ut diximus, conquerentis de injuria Antonii Conſulis, qui non contentus pignoribus captis, aut mulcta dicta cogeré in Senatum venire Ciceronem, minatus eſt etiam frequentiſſimo Senatu, cum fabris ſe venturum ad diſturbandam, ſubvertendamque domum ejus. *Idem patet ex libro 3. de Orat. pag. mihi 257. lit. B.* ubi ita loquitur: Hic cum homini & vehementi & diſerto & imprimis forti ad reſiſtendum Philippo, quaſi quaſdam verborum faces Craſſus admoviſſet, non tulit ille, & graviter exarſit,

pignoribusque ablatis Craſſum inſtitit coërcere. *Gellius* quoque eundem morem attingit *l.* 14. *cap.* 1. Præterea, *inquit*, hæc de pignore quoque capiendo diſſerit: deque mulcta dicenda Senatori, qui cum in Senatum venire deberet, non adeſſet.

Coërcitio Senatorum in Senatum venire nolentium, utilis eſt & neceſſaria.

68. Erat autem hæc per pignora coërcitio & mulcta, Senatoribus in ſenatum non venientibus dicta, Reipubl. maximè utilis & perneceſſaria propterea, quia aliàs facilè aliquid potuiſſet decerni, quod vel Reipublicæ pernitioſum, vel juſtitiæ detrimentoſum eſſet, hoc ſcilicet modo, ſi ille, qui reliquos rogare debet, obſervaſſet, de re aliqua in Senatu relatum fuiſſe, quam aliqui, ſi præſentes eſſent, non decerni permitterent, aut ad minimum, ſi illi quoque adeſſent, majora non obtinerent: illis verò abſentibus, reliquis jam placere, itidemque jam majora conſtituere, ideoque de illa re hoc die in Senatu agendum eſſe, ne ſcilicet, ſi abſens jam, alio die eſſent præſentes & in Senatu, causâ caderent, & impedirentur, ſive à ſententia, quam aliqui ex præſentibus expetunt, reliqui diſceſſum facerent. Quod ſanè ſæpè fieri poſſet, non ſolum in totius Reipubl. detrimentum, ſed etiam in tertii injuriam, & oppreſſionem: imò hoc modo ſæpè anſa factionibus præberetur.

69. Ve-

69. Verùm dicis: I. hoc modo concedendum eſſe, collegæ in Collegam jus & poteſtatem, quod tamen ſupra videbatur negatum §. 59. II. Impunè à Senatu abeſſe, ſophiſma eſſe Ariſtocraticum, ſed ſolùm ratione plebis: Nobilibus autem & patriciis pœnam dictare, niſi adſint, ad Ariſtocraticam facit conſervationem, *Vid. diſp. noſtra de cauſis Ariſtocratiam conſervantibus*, §. 14. ℞. Quod primum attinet, per talem mulctam non conceditur Collegæ in collegam poteſtas, ſed talis poteſtas toti collegio ex prima conſtitutione competit, quod totum collegium, ratione poteſtatis, poſt modum conſul repræſentat, ſi juxta leges, & reliquorum collegarum conſenſum, aliquem ex collegis coërceat. Siquidem talis collega, qui coërceri debet, cùm allectus fuit in collegium, vel expreſſè vel tacitè & præſumptive in illas leges, quæ ratione collegii fundamentales dici poſſunt, conſenſit. Quo ipſo tamen pari in parem nulla datur poteſtas, propterea, quia ſinguli collegæ toti collegio pares nequaquam habentur. Ad II. ℞. Unum idemque ex diverſo fine ad diverſa quoque adhiberi poſſe. Si enim mulcta talis Senatoribus ſolùm dicatur, in aliqua Republ. Nobilibus & Patriciis, non verò etiam aliis Senatoribus, ſi ex vulgo ſive plebe aliqui ſint allecti, facilè concedo illam

facere ad Oligarchiæ conſervationem, ut hoc modo paulatim plebs excludatur, & totum regimen maneat patricios & divites: atque ſic arcanum quoddam eſſe. Verùm ſi omnibus Senatoribus, cujuscunque originis ſint, æqualiter dicatur, nego, arcanum aut ſophiſma eſſe, ſed potius fundamentum autoritatis, juſtitiæ fulcimentum, & factionum impedimentum.

Senatoris Virtutes. 70. Hactenus egimus de illis, quæ ad eſſentiam ſenatoris videbantur pertinere: conſequens eſt, ut paucis etiam contemplemur eundem ſecundum virtutes illi ſummè neceſſarias. Quoniam porrò bona animi, reliquis longè ſunt præſtantiora, interque illa ea, quæ intellectus ſunt, cæteris meliora, videamus, quibus virtutibus intellectus Senator eſſe debeat inſtructus. Certum eſt, *Eruditio.* Senatorem debere eſſe eruditum, cum de maximis rebus ad Rempublicā pertinentibus deliberationem & conſultationem inſtituere debeat, quæ ſine rerum inter ſe comparatione eſſe & fieri non poteſt: nulla verò comparatio rerum rectè haberi poteſt, ſine illarum rerum profunda cognitione: quo poſito nemo ſanus negabit, Senatorem debere eſſe literatum ac eruditum. Etenim ſola experientia hîc non ſufficiet, quamvis hæc ſi ad rerum cognitionem accedat, ſcientiam reddat meliorem, *teſte Ariſtotele* 1. *Metaph.* c. 1.

c. 1. Imò, eruditio non ſolum neceſſaria eſt Senatori, ſed etiam Principi: Quapropter ſummoperè improbandum eſt conſilium ſive inſtitutum Ludovici XI. Galliarum regis, dum filium ſuum Carolum ita inſtitui voluit, ut literas neſciret, modò tria verba teneret, Latina illa quidem; ſed ejusmodi, quæ de hiſtoria jure detracta ſint, ut alienis conſiliis potius, quam ſuis ſapere, ac res gerere conſueſceret, *teſte Bodino l. c. pag. mihi* 372. Siquidem vita ſine literis mors eſt, *teſte Seneca Epiſt.* 83. Literæ plebeis argenti, Nobilibus, auri, Principibus gemmarum loco ſunt, inquiebat *Æneas Sylvius*. Literæ virtuti ſerviunt, & magnum vel in ea comparanda adjumentum, vel in parata ornamentum exiſtunt, *ait Beſoldus l.* 2. *Polit. c.* 1. §. 3. *pag. mihi* 545. Literæ conferunt ad ſapientiam comparandam, *Lipſius in Manuductione ad Stoicam Philoſoph.* 1. *Diſſert.* 2. Cavendum itaque ſummoperè eſt, ne non ſolum Senatorem, ſed ne Principem quoque niſi optimè à diſciplina uberius & à natura informatum populo ſpectandũ exhibeamus, quia, cumprimis Princeps illiteratus eſt aſinus coronatus, quod Alphonſi regis dictum erat.

Literarũ & eruditionis utilitas.

71. Verùm aſſurgunt hic nonnulli, & docent, Imperii clavum tenentibus, literis planè pleneque interdicendum eſſe, exemplo Ludovici XI. jam allato. Ex quo fun-

Princeps expers literarum eſt peſtis Reipubl.

damento Licinius Imperator, literas peſtem Reipubl. vocavit. Exemplis porrò probare conantur, Literatos & eruditos Rempubl. adminiſtrando perdidiſſe: nimirum Michaëlem Parapinaceum, de quo *Cuſpinianus*; Gallienum, de quo *Trebellius Pollio*; Theodorum Gothorum Regẽ, quem adducit *Johannes Magnus*. Per omnia tamen hæc, ea, quæ à nobis §. præcedente ſunt adducta, nondum evertuntur. Quod enim attinet M. Julium Licinium Licinianũ, retulit quidem genus ſuum ad Philippum Auguſtum, cujus nomen cùm fuiſſet M. Julius Philippus, id ſibi quoque uſurpavit & in Perſide tumulum Gordiani ſubvertit, quaſi progenitoribus contumelioſum: verùm, uti aſſerit *Pezelius in Mellificio Hiſtorico part. 2. fol. mihi 391.* Parentibus ſcribitur agricolis natus: & quia Tribunus militum in bello contra Narſem optimè ſe geſſerat, Severo mortuo, conſors Imperii à Galerio Maximino factus, & Auguſtus appellatus, prius Illyriis, poſt Orienti præfuit. Hoſtis literarum acerrimus, cùm diceret: Venenum ac peſtem eſſe Philoſophos & Oratores. Ipſe etiam adeò literarum expers fuit, ut nomen decretis vix ſubſcribere poſſet. Quidni itaque odiſſet literas Patre ruſtico natus, inter ruſticos educatus? ruſticis igitur & etiam barbaris moribus omninò fuit. *Vid. Reuſner. in Symb. Imper.*

Imperat. part. 1. Symb. 64. pag. mihi 136. Ad reliqua exempla quid reſpondendum ſit, nemini erit ignotum, nimirum etiam rerum optimarum & per ſe utiliſſimarum abuſum dari poſſe maximum: Deinde eruditionem, requirere quoque naturam bonam, non malitioſam. Quando enim eruditio in malitioſum cadit ingenium, eâ abutitur, & ita per abuſum pejus redditur. Noxia enim Reipubl. eſt ſine virtute eruditio; & crudelius nihil eſt vitio virtute armato: Eò enim inſidioſius hæc vitia nocent, quo plauſibiliori virtutis prætextu fucum aliis faciunt; non ſecus atque venenum vino generoſiori mixtum pernicius, pernicioſiusque graſſatur. *Vid. Oratio mea Auſpicalis, de Pernitie Oratoris Mali, habita dum Profeſſionem Logicam auſpicarer, Anno 1641. Item Diſſertatio mea Politica, An ſtudium literarum enervet Militiam* §. 14.

Eruditio ſine virtute noxia eſt Reip.

72. Literatos eſſe debere Senatores, ità ex præcedentibus conſtat: Quoniam verò etiam bonum ſuam habet menſuram & mediocritatem, quam ſi excedit, in vitium tendit & vertitur, etiam ſtudia ſive literæ ſuum admittent gradum, ultra quem ſi in iis, qui Rempubl. ullo modo regere debent, aſſurgunt, laudem omnem non merentur. Sicuti enim Neoptolemus apud Ennium non malè dixit, *Philoſophandum quidem eſſe,*

Princeps & Senatus vita, non Schola diſcapt.

ſed paucis; ita Principi, & iis, quibus cura Reipublicæ commiſſa eſt, non in literis ſolùm ſeneſcendum eſt, nec omnia iis pertractanda indifferenter. Aliàs verum eſt, quod ſcribit *Bodinus l. c. pag.* 372. Summam literarum cognitionem Principibus ſæpiſſimè pernitioſam extitiſſe, niſi benè à natura, melius etiam à virtutibus inſtructi & informati fuiſſent: quia nihil tam in principe metuendum, quam multa rerum abditarum cognitio cum ſcelere conjuncta. Debent itaque illi Senatores Vitæ diſcere, juxta *Senecam Epiſt.* 106. non Scholæ. Id quod Virgilius rectè intellexit, quando *Æneid. VI. ſub fine* ita canit:

Orabunt alii melius ———

Tu regere imperio populos Romane memento.

Modus itaque adhibendus eſt in literis, qui niſi obſervetur, literæ nimiæ magis principi oberunt, quam proderunt: ſiquidem Doctrinam ad pompam & ſpeciem habebunt, vel etiam ad voluptatem, non verò ad uſum. Ex quo neglecto modo Seneca reprehenditur, qui Neronis indolem non erudiſſe, ſed ſævitiam ejus armaſſe dicitur. Rectius modum in literis obſervavit *Agricola, de quo Tacit. in Agricol. c.* 4. *n.* 5. *&* 6. Memoria teneo, ſolitum ipſum narrare, ſe in prima juventa ſtudium Philoſophiæ ac Juris, ultra quam conceſſum Romano ac Senatori, hau-

ſiſſe,

ſiſſe, ni prudentia matris incenſum ac flagrantem animum coërcuiſſet. Scilicet ſublime & erectum ingenium, pulchritudinem ac ſpeciem excelſæ magnæque gloriæ vehementius, quàm cautè appetebat: mox mitigavit ratio & ætas: tenuitque, quod eſt difficilimum, ex ſapientia modum. Quas verò diſciplinas debeat in ſpecie addiſcere, & in quibus ſe exercere, ut modum rectè teneat, nec excedat, quoniam id uberrimè à nobis jam eſt expoſitum *in tract. noſtro de Conſiliario*, nolumus hic actum agere. *Jungatur Berneggerus quæſt.* 174. *in Tacit. item ejus diſp. Hiſtorico-Politica, de Boni Principis Qualitatibus, Virtutibus & Officio. Piccartus in obſ. Hiſtorico. Politicis, Decad.* 1. *c.* 5.

73. De bonis animi ac intellectus jam actum eſt: accedamus ad bona Fortunæ: inter quæ primo loco occurrit, *genus, familia ſive nobilitas*. Siquidem *Tacito teſte* 1. *Hiſtor. c.* 16. *n.* 3. generari & naſci à principibus fortuitum, nec ultra æſtimatur. Nihilominus tamen hæc opinio ita hominum mentibus ingenerata eſt, ut neceſſarium eſſe credant, neminem alium debere Senatorem eſſe, niſi Nobilem. Et hoc quidem non ſine omni ratione: etenim, natum ex nobili genere, nobilem & virtutis ſtudioſum præſumimus. Ut enim ex hominibus hominem, ex belluis belluam, ſic ex bonis bonum gene- *Senator ſit Nobilis.*

generari conſentaneum eſt, *inquit Menoch. l. 6. præſumpt.* 58. Præſumuntur liberi patrum veſtigiis inſiſtere, & ſemina bonæ naturæ ſibi innata in lucem educere, *arg. Nov.* 10. *in fin.* cui jungi poteſt *l.* 31. §. 21. *ff. de Ædilitio Edict.* Confirmat idem *Ariſtoteles* 3. *Pol.* 8. (*aliàs* 13.) quando ait: Veriſimile eſt, meliores ex melioribus naſci. Hoc eleganter *Baptiſta Mantuanus* exprimit, quando ita ſcribit;

In ſobolem tranſire patris cum ſemine virtus
Sæpè ſolet, refertq; ſatus, quo quisq; parēte eſt.
Adde, quod avitæ laudes & clara Parentum
Facta movent animos, generoſaq; corda nepotum
Sollicitant, & calcar habent abiguntq; veternum.

Cum enim ex patre eo penè modo, quo ex radice arbor, proveniat filius, fit, ut patri ſimilis habeatur. *Caßiodorus l.* 6. *Epiſt.* 13. & *l.* 9. *Epiſt.* 23. affirmat, ad virtutem haud parum facere, non fortè fortuna, ſed cognatâ quadam præparatione bonum fieri: Qui enim obſcuro loco nati ſunt, poſſunt quidem ii hoc ſibi adſciſcere, ut viri boni ſint: attamen eorundem ignobilitatem etiam innata quædam vitia aliquando arguunt: quibus verò ſemina virtutis à majoribus per multum tempus ducta adſunt, fieri non poteſt, quin & ingenitâ & perpetua virtute ſint præditi.

diti. Ex hac cauſa omninò exiſtimo, Venetiis, Rhaguſiæ, Norimbergæ, neminem ad Senatum admitti, niſi nobilem Patricium. Apud Polonos lege Sigiſmundi Auguſti Anno 1550. cautum eſt, ut nemo Senator legeretur, niſi qui patre nobili natus eſſet, *teſte Bodino l. c. pag. 578.*

74. Verùm, utut hæc ſe habeant, quoniam tamen contingens eſt, nobilium filios parentum ſuorum veſtigia premere, cum non rarò, ſed frequentiſſimè, cumprimis ſi hodierna conſideretur Nobilitas, quæ vel in odium Patriciorum, vel alia ex cauſa, ſcilicet nimiâ licentiâ illecta, ruri vivit, & negotiis ruſticanis occupata eſt, (licet per alios ſibi ſcilicet ſubjectos) degeneret, & mores ruſticanos induat, unde etiam commune proverbium originem duxit, *Heroum filii noxæ*; non eſt, ut à dignitate Senatoria reliquos omnes, qui non ſunt nati ex nobili ſtemmate, excludamus. Hinc rectè ait Ariſtoteles 3. *Polit. c.* 8. (*aliàs* 13.) Qui propter divitias imperium affectant, nullo jure niti videntur: ſimiliter & qui propter genus. Quandoquidem *Homero teſte, Odyſſ. β. ſive 2. pag. mihi* 22. *Nobilium filii haud rarò degeneres.*

Παῦροι γάρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ πέλονται.
Οἱ πλέονες κακίους, παῦροι δέ τε πατρὸς ἀρείους.

Id eſt,

Pauci enim filii patri ſimiles ſunt:

Pleriq;

Plerîq; pejores: pauci verò parentibus meliores

Et *Euripides ait in Heraclidis verſ.* 328. 329.

—— Ἕνα γὰρ ἐν πολλοῖς ἴσως,

Ἕυροις ἂν, ὅστις ἐςὶ μὴ χείρων πατρός.

Id eſt,

—— *Unum fortè inter multos*

Invenias, qui non ſit deterior patre.

Ab his non abit quoque *Lyricorum Princeps Horatius, quando l.* 3. *oda* 6. *canit:*

Ætas parentum, pejor avis, tulit

Nos nequiores, mox daturos

Progeniem vitioſiorem.

Non Nobiles non ſtatim à dignitate Senatoria excludendi.

Non itaque eſt, ut à Senatoria dignitate excludamus, qui à claris parentibus non ſunt nati. Siquidem ea, quæ ad Senatorem pertinent, ut rectè de Republ. ſentiat & dicat, non à generatione dependent, ſed ab informatione & educatione, vel Virtute. Unde rectè *Bodinus l. c. pag.* 378. ſcribit, Virtutes illæ quæ Senatori neceſſariæ ſunt, nimirum Juſtitia, Fides, Integritas, Prudentia, rerumque gerendarum uſus, ac juris divini & humani ſcientia, nulla mercede, nullo cenſu, nullis pecuniis, nec etiam, quod addi debet, nativitate comparantur.

75. *Dicis*: In multis tamen locis legis eſt, ut nemo ad Senatoriam dignitatem admittatur, niſi nobilis, ut de Polonis diximus §. 73. In aliis conſuetudinis eſt, ut Nortimber-

rimbergæ, & alibi. Ergòne in illis locis non obſervabitur, ut hæc dignitas ſolis bonis & prudentibus permittatur & committatur? Si enim hoc quis negaret, concederet profectò, illas Respubl. pleraſque corruptas & prolapſas eſſe, ad minimum quoad hanc ſolùm partem. ℞. Nequaquam hoc ſequi: nam inter nobiles etiam dantur boni: non omnes degenerant ab avitâ virtute: debebit igitur etiam inter liberos habere electio locum, ut ſolum illis talis dignitas concedatur, qui ſuorum parentum bonorum veſtigia ſequuntur; non ideò ſolùm, quia illorum filii ſunt, & nobiles. Debent eligi ex Nobilibus, qui prudentes ſunt, & rerum experti, Deinde in tali Republica, ubi legis eſt, ſolùm Nobiles in Senatum admitti, liberorum nobilium educatio debet eſſe curioſior, ut per eam aptiores etiam cæteris ad Rempubl. reddantur. 3. Nobilitas eſt duplex, vel enim eſt generis tantùm, vel virtutis tantum: Hæ duæ, ſi inter ſe conferantur, præferri utique debebit ille, qui eſt nobilis virtute tantùm, illi, qui eſt nobilis genere tantum. Quod ſi verò poſt ſtatuas tertiam nobilitatis ſpeciem: nimirum aliquem eſſe nobilem & genere & virtute ſimul; ipſe ſtatuo, illum eſſe præferendum cœteris duobus ſeorſim conſideratis. Ubi verò in aliqua Republiba nulla lex, nulla conſue-

Nobilitas eſt duplex. Generis. Virtutis. Generis & Virtutis ſimul.

conſuetudo viget, in nobilibus ad dignitatem hanc legendis, boni ſolùm & prudentes admitti debent, cujuscunque tandem generis ſint. Etenim, *juxta Apulejum*; ſæpè etiam olitor eſt oportuna locutus. Hæc omnia à Philoſophorum principe, *Ariſtotele* eleganti ſunt propoſita ſimili *l.* 3. *Polit, cap.* 8. (*aliàs* 12.) Nam, inquit, ſi ſit aliquis, qui arte quidem tibia canendi præſtet, ſuperetur verò nobilitate aut forma, etſi quidque eorum bonorum arte tibia canendi eſt majus (nobilitatem dico, & formam) & proportione præſtant multo arti canendi, quam ille arte canendi tibia: huic tamen tibiæ meliores erunt dandæ, debet namque ad opus juvare præſtantia divitiarum & nobilitas, nihil autem juvant. Hæc *Ariſtoteles.* Quapropter nobilitas ſola in conferendis dignitatibus reſpici non debet. Huc rectè referri poſſunt ea, quæ diſputat *Ariſtoteles l.* 9. *Ethic. c.* 2. Utrum pater, ex amicitiâ excellenti ſive inæquali debeat præferri filio, in conferendo Magiſtratu bellico; ſi nimirum filius eſſet dux peritus, pater verò nequaquam. Ubi deciſionem pro filio adducit, patre rejecto, utut pater filio ſit major ac dignior.

Senator ſit Dives. 76. Fortunæ eſſe, à nobili genere naſci, pluribus jam audivimus: alterius rationis divitiæ non ſunt. Quoniam tamen nobilitas

litas ſine bonis avitis eſt ſicuti fides ſine bonis operibus, i. e. res mortua, videtur requiri quoque in Senatore Plutus, qui opum atque divitiarum DEUS perhibetur. Præterea videntur divitiæ opinionem honeſti tribuere poſſeſſoribus, cum in jure Civili egenus honeſto viro opponatur, quaſi honeſtus adeò non ſit, qui nimis egenus eſt, *l. 52. §. 21. ff. de Furt.* Verba legis hæc ſunt: *Cum Titio honeſto viro pecuniam credere vellem, ſubjeciſti mihi alium Titium egenum, quaſi ille eſſet locuples.* Divitiæ auctoritatem etiam conciliant: ex qua cauſa Phormio Athenienſis, vir benè moratus, ſed malè nummatus, claſſi præfectus, imperium recuſavit, quod diceret, pauperem ſe & obæratum, nec autoritatis ſatis apud milites, nec mentis ad cogitandum habiturum, *teſte Pauſania in Atticis.* Adeò verum eſt illud *Satyrici*:

Haud facilè emergunt, quorum virtutibus obſtat
Res anguſta domi. ——

Facit enim paupertas contemptos, iterum *Satyrico teſte, Satyr. 3.*

Nil habet infelix paupertas durius in ſe
Quam quod ridiculos homines facit. ——

Unde,

Quantũ quiſq; ſuâ nummorũ ſervat in arcâ,
Tantum habet & fidei.

Quandoquidem

O *Virtus,*

Virtus, fama, decus, divina, humanaq́ pulchris
Divitiis parent, quas qui conſtruxerit, ille
Clarus erit, fortis, juſtus, ſapiens etiam, & Rex,
Et quicquid volet.

Pauper ab omnibus contemnitur. Ex hac cauſâ, ad omne negotium pauper timidus eſt: Nam ſe omnibus credit eſſe contemtui. Paupertate preſſus, neque dicere, neque facere quicquam poteſt: Lingua enim illi ligata eſt. Hinc ſupra diximus, Senatores lectos fuiſſe ex Cenſu: haud dubiè ex Solonis præcepto, qui locupletiores Magiſtratibus fungi voluit, uti indicat *Plutarch. in Solon.* Et Athenienſes non ſolùm optimos, ſed etiam ditiſſimos ad Rempubl. admovebant, *docente Ariſtotele 2. Polit. c. 9.*

Pauperes tamen à Senatu non ſunt excludendi. 77. Quicquid horum ſit, nequaquam nos pauperes ſimpliciter adminiſtratione Reipubl. aut Senatoriâ dignitate excludendos dicimus. Novimus namque ex Salluſtii fragmentis, divitias parere ſtultitiam, ſuperbiam, luxum, petulantiam, injurias, & reſpublicas frequenter evertere. Sæpè Reges, Civitates, Nationes per opulentiam magnam imperia amiſerunt, quæ per virtutem inopes cœperant. Hinc *Ariſtoteles 2. Polit. C. 7. (aliàs 9.)* contra Rempublic. Spartanorum ſuadet, ut in republ. recta divi-

divitiæ non ſint in pretio: docetque, quod mulieribus nulla concedēda ſit luxuria, quia communiter intemperanter volunt vivere. Ex intemperantia autem oritur, ut divitiæ ſint in pretio: ubi enim luxus dominatur, illic opus eſt auro: ex auri cupidine oritur avaritia, quâ Spartam perituram, oraculum prædixerat. Omnis dives *juxta Hieronym. in Epiſt. 69.* aut iniquus, aut iniqui hæres eſt. Sciendum itaque eſt, Pauperes in duplici differentia eſſe; quidam enim laborant paupertate, quæ vocatur Sordida, & indigentes vocantur, qui anguſto lare vivunt; (von der Hand zum Maul) Et hi pauperes rectè excluduntur; Nam de hac paupertate verum eſt, quod *Silius Italicus l. 13.* ait: *Pauperes ſunt duplices.*

Eſt deforme malū, ac ſceleri proclivis egeſtas.

De qua etiam *Ariſtoteles* dicit, quod ſeditionem efficiat, & injuriam, 2. *Pol. c.* 4. *(aliàs 6.)* Vel ſunt pauperes, qui dicuntur tales comparatè, qui collati ad opulentos inſolentes, poſſunt quidem dici pauperes, ad alios tamen relati, erunt adhuc divites. Ariſtoteli vocantur *Medii, 4. Polit. c. XI.* ex quibus ſi conſtet Reſpublica, optima erit; etenim ſi multi abundant ingentibus divitiis, ſunt elati & ſuperbi, aliis ſubeſſe nolunt, & ſæpè res novas moliuntur: qui verò nimia paupertate premuntur, dejecti animi ſunt, contemti & Reipublicæ vacare non poſſunt; Hæc

ex loco Ariſtotelis allegato ſatis conſpicua ſunt: à quo nec *Sacra literæ* diſſentiunt, videlicet *Proverb. XVIII, 23. cap. XXX, 9.* Hæc diſtinctio, à nobis jam allata, nec Juri Civili repugnat; ita enim loquitur *Ulpianus l. 6. in pr. ff. de Munerib. & Honorib.* Conſtitutio, qua cautum eſt, prout quisque Decurio creatus eſt, ut ita & Magiſtratum adipiſcatur, toties ſervari debet, quoties idoneos & ſufficientes omnes contingit. Cæterùm, ſi ita quidem tenues & exhauſti ſunt, ut non modo publicis honoribus pares non ſint, ſed & vix de ſuo victum ſuſtinere poſſint, & minus utile, & nequaquam honeſtum eſt talibus mandari Magiſtratum: præſertim cum ſint, qui convenienter ei & ſuæ fortunæ, & ſplendori publico poſſint creari.

Senator non ſit juvenis.

78. Conſideratis bonis fortunæ, ſcil. Nobilitate & Divitiis, Senatorem noſtrum mittamus, atque commentationi huic ultimam manum imponamus, ſi modo unicam hanc quæſtionem enodaverimus, *Num in Senatum quoque admittendi ſint Juvenes?* ſupra §. 46. diximus, in legendo Senatore rationem habitam fuiſſe ætatis, & ſenibus dignitatem hanc tributam fuiſſe, non juvenibus. Hanc quæſtionem ut rectius intelligamus, ſciendum eſt, Ætatem hominis communiter dividi in ſeptem partes I. in Infan-

Infantiam, quæ primis ſeptem annis abſolvitur. II. in ætatem pupillarem ſive Pueritiam, quæ in fœminis 12. in maſculis 14. finitur. III. in Pubertatem. IV. in Adoleſcentiam. V. in Juventutem. VI. in Senectutem. VII. in Senium, aliarum ætatum terminum: ita *Caſſanæus, ad Conſuetud. Ducat. Burgund.* *Diviſio Aetatis humanæ.*

79. Melior ætatum diviſio videtur illa, quæ deſumitur *ex l. unic. C. Theodoſ. de his qui veniam ætat. impetrar.* ubi quintupliciter dividit ætatem, quarum I. ipſi eſt Pueritia, (quam etiam pupillarem appellant) cujus duas facit partes, infantiam, 7. ſcilicet annorum, & Pueritiam in ſpecie dictam, quæ in Maſculo anno 14. in Fœmina 12. finitur. II. Adoleſcentia ſeu Pubertas, ab anno 14. maris in 25. fœminæ à 12. in 20. extenſa. Quam adoleſcentiam ſubdividit in pubertatem Minus plenam, ab anno 14. ad 18. in mare, in fœmina à 12. ad 15. & plenam ab anno 18. ad 25. vel à 15. ad 20. III. Firmata eſt, cujus finitionem ponit ab anno 20. vel 18. quando Minoribus 25. annis ante vigeſimum quintum annum ex venia Principis rerum ſuarum adminiſtratio permittitur, IV. Perfecta, quam Juventutem etiam vocat, eandemque ab anno 25. ad 46. protendit. V. Senectus, quam ad finem vitæ terminat.

80. Jam cum Senatores debeant maturo judicio, ſolerter & fideliter Reipublicæ conſiliis ſuis ſubvenire: ea verò domi rariſſimè junioribus naſcantur, rectè dignitatis iſte gradus juvenili ætati præcludi videtur. Hinc *Plutarchus in lib. An ſeni ſit reg. Respublica, inquit*, Non in juvenum, ſed ſenum vultu maturitas apparet. *Et Cic. de Senect.* ait: Uſu conſtat, quod maximè Respubl. per adoleſcentulos labefactatæ ſint, à Senioribus autem ſuſtentatæ & reſtitutæ: opinatur vulgus, & rectè opinatur *juxta Bodinum l. c. pag* 374. aut nunquam aut raro admodum juvenes ſapientia præſtare. Imò Solonis lege cautum erat, ne quis juvenis ad magiſtratum aut conſultationem admitteretur, quamvis haberetur prudentiſſimus, *Keckermannus l.* 1. *Syſtem. Polit. cap.* 2. *pag. mihi* 52. Ut enim omnia alia juvenibus adſint, tamen eorum autoritas nondum eſt adulta. *Vid. Lipſ. l.* 3. *Polit. cap.* 4. *num.* 8. Ob hanc cauſam Hadrianus Imperator nullum tribunum, niſi plenâ barbâ, fecit, aut ejus ætatis, quæ prudentiâ & annis tribunatus robur impleret, *Spartian in Hadrian.* Unde iis, qui canite graves ſunt, plurimum deferendum eſſe, monet nos *Gloſſ. in §. ſi verò Authent. de Quæſtor.* Defertur enim Senibus præſumptio Sapientiæ, Probitatis & Morum gravitatis. Major quippe

in

in ſene ſapientia præſumitur, *Can. porrò diſtinct.* 84. major probitas *Can. ſi officia. diſtinct.* 19. major item morum gravitas, *Can. primò.* 12. *q.* 1. Defertur quoque eis in teſtimoniis ferendis; eſt enim ſermo ſeniorum veracior, *Can. conſanguineos, ibi: antiquioribus, qui bonæ famæ & veracis teſtimonii ſunt* 35. *q.* 6. item in juſtitiæ examinatione & diſcuſſione, *can. ſi quid verò. diſtinct.* 86. atque adeò in dubiis determinandis: facilius enim invenitur, quod à pluribus ſenioribus quæritur, *Can. de quibus.* 22. *diſtinct.* Idem eſt in Inſtrumentis cuſtodiendis: nam cum inter plures hæredes dubitabatur, penes quos tabulæ teſtamenti eſſent deponendæ, verius eſt, ut antiquiorem præferamus, *l. ult. ff. de Fid. Inſtrum.* Hoc in ſimili quoque *Baldus* confirmare videtur, quando inquit: *Doctores antiquos magna veneratione eſſe præſtantiores modernis, pondere*, numero & menſura, *in l. ult. C. de Edict. D. Hadriani tollendo.* Adde *Eccleſ. c.* 25. *verſ.* 6. **Senum privilegia.**

81. Quid? quod optimus gubernandi magiſter, Jehovah duci ſuo Moſi præceperit, ut ſeptuaginta ſeniores populi deligeret, conſilii & levamenti causâ *Num. XI.* Inde tam frequenter in Sacris nominatos legimus Seniores populi, Seniores Civitatis, Seniores Iſraël, Seniores Judæorum, Seniores Terræ, & ſimilia verba, de quibus *Carol.*

Sigon. l. 6. de Republ. Hebr. c. 4. Rationem ſuppeditat Scriptura apud *Hiobum.* In antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia, annorum multitudo docet ſapientiam *cap. XII.* Eleganter *B. Hieron. Ep.* 2. Omnes penè virtutes corporis mutantur in Senibus, & creſcente ſolâ ſapientiâ, decreſcunt cætera. Sanè ſi Rehoboamus Rex, ſenum conſilium ſecutus fuiſſet, regnum ſtabiliſſet, quod penè perdidit & evertit conſilio juniorum. 3. *Reg. c. XII.*

82. Nec exemplis hac in re deſtituimur: quandoquidem Lycurgus apud Lacedæmonios conſtituiſſe dicitur, ut octo & viginti ſeniores Laconum Principibus aſſiſterent, quod conſilium γερουσίαν nuncupavit, *Plutarch. in Lycurg.* Romulus etiam in conſilium Reipubl. ſuæ ſeniores populi elegit, indeque Senatores ob ætatem dicti, qui & Senatui dedere nomen, *Liv. lib.* 1. *Dionyſ. Halicarn. l.* 2. Hinc *Ovid. l. 5. Faſtor*:

Nec niſi poſt annos patuit tunc curia ſeros,
Nomen & ætatis mite Senatus habet.
Jura dabat populo ſenior, finitaq́ certis
Legibus eſt ætas, unde petatur honos.

83. Rectè *Laur. Grimal l.* 2. *de Optim. Senatore*: ſenes dicendâ ſententiâ valent, tametſi ſint indocti: uſu enim & experientiâ tertium quendam oculum ſunt adepti, quo rerum principia & eventus facilè perſpiciunt.

Plu-

Plutarchus vere dixit : Vigere rationem, affectibus una cum corpore tabeſcentibus. Et *Xenophon inquit*, Sicut novelli Citharædi multas Citharas perdunt; ita cupidi juvenes Rempubl. ut plurimum evertunt. Juvenilia enim & accenſa ejusmodi ingenia, haud abſimilia cenſentur pullis gallinaceis, ingenti ſtudio, indeſinenti cantu decertantibus, cum tamen cantu ſuo noctis & diei tempora magis confundant, quam indicent, ubi è contrariò galli adultiores parciùs, intervallis debitis & convenientibus, vocem extollunt. Hujus rei talis fuit Cura majoribus, ait *Pacatus in Panegyr, ad Theodoſ.* ut non ſolum in ampliſſimis magiſtratibus adipiſcendis, ſed in Præturis quoque aut Ædilitatibus capeſſendis ætas ſpectata ſit petitorum; nec quisquam tantum valuerit nobilitate, vel gratia vel pecunia, qui annos comitiali lege præſcriptos feſtinatis honoribus occuparit. Hoc procul dubio etiam animadvertit Mecœnas, cum Octavianum hortaretur, ne ad Senatoriam dignitatem minores 25. annis eligeret: Quomodo enim, inquit, non eſſet turpe ac damnoſum, cum nemini ante id ætatis, bonorum ſuorum adminiſtratio concedatur, iis, qui eam nondum attigerunt, Remp. credere? *Dion. Caſſ. l. 52.*

Juvenum impetus & fervor Conſiliis obeſt.

84. A quibus omnibus ne quidem jus civile abludit, quod ante vigeſimum quin-

tum annum ad decuriatum, vel Civitatis conſilium neminem admittit, *leg.* 8. *ff. de Muneribus & Honoribus: item l.* 8. *C. Quando provocare non eſt neceſſe.* Si tamen minores viginti quinque annis Decuriones facti fuerint, ſportulas decurionum quidem acceperunt, at ſuffragium ferre non potuerunt *l.* 6. §. 1. *ff. de Decurion.* Annus autem vigeſimus quintus cæptus, pro pleno habetur, hoc enim in honoribus favoris cauſa conſtitutum eſt, ut pro pleno inchoatos accipiamus *d. l.* 8. *ff. de Munerib. & Honorib.* ſecus ac in edicto de Minoribus *l.* 3. §. 3. *ff. de Minorib.* Sic *l.* 51. *de Procurator.* dicitur: Minor 25. annis, ſi defenſor exiſtat, ex quibus cauſis in integrum reſtitui poſſit, defenſor idoneus non eſt: quia & ipſi & fidejuſſoribus ejus per in integrum reſtitutionem ſuccurritur. Quod hodierna Pontificum conſtitutio ſequentibus confirmat: Licet autem poſt 17. Procurator ad negotia licitè deputetur; ad judicia tamen, niſi major 25. annis fuerit, deputari nequibit, *l.* 1. *Decretat. t.* 19. quia tunc compleri virilem vigorem conſtat, ut ait *Ulpian. l.* 1. *ff. de Minor.* Poſſet huc referri quoque *l.* 3. *C. de Tyronibus*, ubi dicitur, quod Tyrones in Scholis loco ſemper poſteriore debeant poni.

Quomodo juvenes poſſint admitti ad Senatum.

85. Quoniam verò juxta *Javolenum l.* 202. *de R. Jur.* Omnis definitio in Jure Civili

Civili periculoſa, parumque abeſt quin ſubverti poſſit, etiam hæc lex annaria, quâ cavetur, ut minor 25. annorum ad adminiſtrandam Rempublicam non admittatur, ita ſe habebit, ſuasq; exceptiones & limitationes admittet: Hoc enim eſt ſubverti poſſe, uti rectè explicat *Clariſſimus Eichel. in Commentario ſuo in Reg. Juris pag. mihi 73.* Limitatur itaque 1. quando ætatis defectus virtute compenſatur, cum iniquum ſit, honori nondum tempeſtivum videri eum, qui virtuti maturus eſt, ut de Æmilio Lepido puero dicit *Valer. Maxim. lib. 3. cap. 1.* Sic legimus, Valerium Corvinum tertio & vigeſimo ætatis anno atque ita ante legitimum tempus ad conſulatum perveniſſe. Mario Juniori, Scipioni Africano, Pompejo Magno & Octaviano Auguſto, aliisque ducibus ob ſingularem rei militaris diſciplinam, & ob candorem ingenii, ante tempus conſulatus, aliosque honores delatos eſſe ſcimus. Si quis dignus ſit, qui in ordinem Senatorum recipiatur, id ætas ejus, quo minus fiat, impedire non debet, ait conſiliarius Auguſt. apud *Dion. Caſſ. lib. 52.* Ibi enim perfecta eſt ætas, ubi perfecta eſt virtus, *inquit Ambroſ. in Orat. hab. in obitum Theodos. Imper. & Plaut. in Trinum.* Non ætate, verùm ingenio adipiſcitur ſapientia. Nec non *Quintil. lib. 2.* Non id æſtiman-

mandum, cujus ſit ætatis, ſed quantum in ſtudiis effecerit. *Adam Contz. lib. 7. Polit. cap. 8. §. 3. pag.* 481. ait: Nobilibus adoleſcentibus, poſtquam annum viceſimum exceſſerint, ſi cum laude ſtipendia fecerint, aut Univerſitatibus eruditionem probaverint, Senatusconſulto vel Principis edicto, liceat Senatui intereſſe, in conſilio Principis ſedere, ſententiam dicere, ita tamen ut conſultandi, non definiendi vim eorum judicium habeat: ſic enim intelligent, quibus de rebus conſilio publico agatur, diſputantiũ orationes, ſapientiamq; notabunt, eaq;, quæ propoſita ſunt, meditabuntur. Ex qua cauſa olim quoque Romæ filii Senatorum conſultationibus interfuere, exemplo notiſſimo Papirii *apud. Gell. l. 1. c. 23.*

86. Hic verò exacta cautela adhibenda eſt in examinandis hujusmodi ingeniis, ſintne illis donis & dotibus prædita, quas dotes prima fronte pollicentur: ſiquidem non rarò evenire cernimus, quod olim facete ajebat Socrates: Si quis in theatro coriarios ſurgere juberet, ii ſoli ſurrecturi esſent; ſimiliter ſi fabros, ærarios, textores aut alios generatim: at verò ſi prudentes aut juſtos, hic omnes exſurgerent, & nullus non eſſet, qui non prudenter ageret aut juſte, *Stob. ſerm.* 23. Adeò vita humana hoc morbo laborat, ut cum bona pars hominum ſtulta ſit,

ſit, ſapere tamen ſibi omnes videantur. Itaque ſatius eſt, in dubio natu grandiores anteferre. *Chockier in Aphoriſ. Politic. lib. 3. cap. 5.*

87. Limitatur porro annaria illa lex, ut ſcilicet Juvenes in Senatum aſſumi poſſint, ſi defectus ſit Seniorum ſive Majorum; tunc enim Minores 25. annis ad Senatoriam dignitatem admittuntur *l. XI. verbo: Niſi ex cauſa. ff. de Decur. l. 1. C. qui & adverſus quos in integrum reſtitui non poteſt. l. 2. C. Qui ætate vel profeſſione ſe excuſant.* Expedit omninò non tantum in hoc caſu, ſed & aliàs, juxta annoſas arbores plantas novas inſerere vel plantare, quæ poſt interitum vetuſtarum in locum earundem ſuccedant, prout docet *Tholoſſ. l. 24. de Republic. cap. 6. num. 2. item Excellentiſſ. b. m. Dn. Doct. Johann. Gerhard. Decad. 4. quæſt. Politic. 3.* Hinc optimum factu eſt in collegio miſceri Senioribus juniores, ut illorum tarditas & frigiditas horum alacritate & fervore incaleſcat ad juſtam moderationem. Tandem juvenes ad dignitatem Senatoriam admitti poſſunt, ſi nimirum conſuetudo longa id probet, *lib. XI. de Decur. Videatur Drac. de Patriciis lib. 3. cap. 4. num. 31. & aliquot ſeqq. pag. 264. Addatur Beſoldus Diſſertat. 3. de Magiſtratib. & Cenſorib. cap. 1. n. 4.* *Lex Annaria.*

n. 4. pag. 179. Reinhard. König. in Theat. Pol. part. 2. c. 13.

89. Plura hic quidem addi poſſent: verùm cum paucis mutatis omnia huc referri poſſint, quæ paſſim de virtutibus & requiſitis Conſiliariorum habentur & leguntur, nosq; ipſi illa penè omnia in noſtro tractatu de Conſiliariis, ſuprà adduximus, nolumus hic operioſiores eſſe. *Videatur Laur. Grimal. de Opt. Senator.* & abundè Virtutes Senatorum cognoſci poterunt. Nos hîc pedem figimus, Deoque pro nobis præſtito auxilio æternas gratias agimus.

Σὺν

Σὺν Θεῷ Τριαγίῳ!

BREVIS COMMENTATIO De LEGIBUS.

§. I.

Quod JCti docent *ex l. 9. C. de LL. item l. 12. C. de Jur. & Fact. Ignorant.* nec non *l. 1. §. 2. ff. de Ædilit. Edicto*, ſcilicet Leges ignorare, nemini permiſſum eſſe; *Vid. Giphan. in l. 3. Eth. c. 5. p.* 200. id nobis quoque dictum eſſe credimus. Ea propter pauca quædam de naturâ Legis in genere adducamus, quotuplex item ea ſit, & nonnulla alia, quorum cognitio in humanâ vitâ maximam utilitatem adferre poteſt, ſub diſputationis incudem revocabimus, non morantes Platonem, qui omnem de legibus diſputationem juvenibus ſuæ Reip. ademit, dicens; primum gradum ad transgreſſionem diſputationem eſſe.

II. Incipiamus autem ab ejus *Etymologia.* Sciendum itaque, ſecundum quosdam legem dici *à legendo*, quod ea publicè legeretur, utpote quæ tabulis æneis inciſa populo ad legendum proponeretur, *l. 2. C. de Frument. Urbis Conſtantinop. lib. XI.* Sic olim apud Græcos & Romanos, antequam Lex ulla ſanciretur, prius coram populo è ſcripto ſolebat legi, & trium nundinarum ſpatio ad deli-

deliberandum conceſſo, palàm affigi, donec repudiaretur, aut probaretur, *Stengel. de Legib. c.* 1. §. 1 ſive, quod è multis, quæ fieri poterant, quadam conſultatione *lecta* ſit, ſive *delecta*: ita ſentiunt *Varro. Ferrar. l.* 1. *Inſtit. tit.* 2. *item Auguſtin. in lib. quæſt. Vet. & Nov. Teſtament.* Scholaſtici verò, & alii, à *ligando* deducunt, ſive *obligando*, quod per eam homines cogantur & obligentur ad ſectandas virtutes, & id quod rectum eſt, *argument. cap.* 2. *lib.* 1. *Extravag. Commun. tit.* 7. *de officio Jud.* quâ de causâ etiam Lex, *Virtus armata*, dicitur *à Senecâ.*

Legis homonymia. 3. Lex non uno modô accipitur; etenim (1.) ſumitur pro *præſcripto*, decreto aut ſanctione, quâ imperatur vel prohibetur aliquid in vita, ab eô, qui imperandi facultatem habet, ſive poteſtatem. Deinde accipitur *ſtrictè*, pro tali decreto, quô imperantur ea, quæ agere in ſe juſtum & honeſtum; prohibentur verò, quæ agere injuſtum aut turpe eſt. (3.) *ſtrictius* pro lege tali poſitiva, diſtinctâ à lege naturali & conſuetudine. (4) *ſtrictiſſimè* quatenus Lex contradiſtinguitur *Plebiscito, Senatusconſulto, Principum placitis, Magiſtratuum edictis, Prudentum reſponſis*; quomodo Lex eſt, quam populus Romanus Senatorio Magiſtratu interrogante (veluti Conſule) conſtituebat §. 7. *Inſtit. de Jur. N. G. & C.* (5.) Pro omni, *Regis aut alius Magiſtratus*,

ſtratus, juſſu, edictô ſive ſententiâ. (6.) Pro quavis *normâ atq; regulâ*, ad quam aliquod agimus. (7.) Pro *certâ conditione*, ut conſtat ex illa loquendi formulâ: Inibo contractum, eâ tamen lege. Prima ſignificatio locum hic habet maximè.

4. *Synonyma* legis hæc vulgò dicuntur eſſe: Sancitum, Conſultum, Decretum, Judicium, mandatum, præceptum, præſcriptum, reſcriptum, ſcitum, plebiſcitum, ſtatutum, inſtitutum, conſtitutum, conſtitutio, reſponſum prudentum, canon, regula, norma, &c. Dixi autem, *vulgò* pro Synonymis haberi: ſiquidem inter hæc manifeſtæ occurrunt differentiæ, quas paſſim apud Autores legere eſt. *Legis Synonymia.*

5. Quid Lex propriè ſit, & quomodo in genere definiri debeat, inter Prudentes non convenit: tot enim penè reperiuntur Legis definitiones diverſæ, quot Autores de Legibus ſcripſerunt. Oppido multas multorum Auctorum vide adductas *in diſſertatione B. Meiſneri l. 1. quæſt. 4. pag. mihi 53. & ſeqq.* item *in tract. de Legibus Ludovici Carbonis lib. 2. diſp. 5. pag. 45.* Nos miſſis aliorum definitionibus, ſolùm illam examinabimus, quàm *Ariſtoteles* adducit, 10. *Ethic. c. ult.* quando inquit: *Lex eſt ex quadam prudentiâ & mente profecta Oratio, cogendi vim habens.* Item *c. 1. Rhet. ad Alexandr.* Lex eſt *Legis Definitio.*

Oratio quædam, quæ communi civitatis conſenſu definita, jubet, quo pacto unumquodq; agendum ſit. Et *c.2. l.d.* Lex eſt communis civitatis conſenſus, qui ſcriptis præceperit quomodo unumquodque agendum ſit.

Lex eſt Oratio 6. Lex dicitur *Oratio*, quo ipſo opponitur ſimplicibus dictionibus, quæ ſeparatim non aliquid ut affirmationes aut negationes ſignificant, prout tamen Leges facere debent. Eſt autem non quævis Oratio Lex, *perfecta.* ſed *perfecta*; nam imperfectæ Orationes Leges eſſe non poſſunt. Deinde eſt Oratio perfecta, *imperativa.* Quoniam verò imperat Magiſtratus, Dominus, Pater, Maritus, Præceptor, item Princeps, non quævis Oratio imperans ſtatim Lex eſt; nam juſſus herilis, præcepta Parentum, &c. ſunt Orationes imperativæ, nec tamen Leges; licet illa præcepta etiam vim cogendi habeant. Deinde, cum dentur quoque Leges *aliquid permittentes*, permiſſio, cum non ſit præceptum, non iuſſio, non imperium, & tamen Leges, ſequitur quod genus Legis, Oratio perfecta imperativa nondum abſolvat: niſi addideris, quod ſit Oratio imperativa *Majeſtatica* (ſive Oratio imperativa ejus, qui Majeſtatem habet) habens vim cogendi. *Majeſtatica, habens*

Vim cogendi. 7. Vis hæc cogendi nihil eſt aliud, quam *obligatio*, quæ eſt *neceſſitas quadam moralis, homi-*

hominibus Majeſtati ſubditis incumbens ad agendum id, quod Lex præſcripta jubet, & omittendum illud, quod illa vetat. Eſt præterea hæc vis cogendi duplex, vel *Intrinſeca*, vel *Extrinſeca*: Extrinſeca eſt, qnando *pœnarum metu* homines coërcentur: Intrinſeca, quando *conſcientia hominum obligatur ſub peccato, vid. Gregor. de Valentia in Thomam tom. 2. diſp. 7. q. 2. punct. 2. pag. mihi 187. Meiſner. l. c. pag. 79.*

Quomodo Lex ſit Oratio, profecta ex prudentia?

8. Quod autem dicitur, quod ſit *ex quâdã prudentiâ & mente* profecta Oratio, ambiguitate carere nõ videtur. Si enim accipiatur ita, quod Lex ſit oratio prudens ſive decretũ prudentis Viri, non competet omni Legi, cũ multæ Leges imprudenter ferantur, cumprimis in Tyrannide. Deinde quot Leges reperiuntur imprudentes? quis enim Legem illam *Epheſiorum, Cic. 5. Tuſc.* ex prudentiâ & mente profectam diceret, qua conſtituebatur, *ut nemo in civitate bonus eſſet: Nemo noſtrûm frugi eſto?* Item illorum Oligarcharum: *Plebi ero inimicus; quodq́ malum potero, moliar?* de qua vid. *Ariſtoteles 5. Polit. cap. 9. Valentia* explicat illa verba, quaſi indicarent, cujus *facultatis* actus ſint Leges, an Intellectus, an Voluntatis? quâ de re poſtea: *Tom. 2. in Thom. diſp. 7. quæſt. 1. punct. 2. pag. 866.*

9. Definitio Legis *ex Rhetoricor.* locis deſumta, & illa dupliciter accipi poteſt. 1. pro Lege in ſtatu Democratico, dum in eâ innuitur ejus cauſa efficiens, videlicet conſenſus populi: quomodo Lex in genere deſcribi non poteſt, cum in regno populi conſenſus non requiratur. 2. Ita, ut per conſenſum populi non intelligamus cauſam efficientem, atque ſic activè, ſed paſſivè, h. e. quod populo præſcribatur Lex, eâdemque is teneatur, ſive conſentiat expreſſè, ſive tacitè, ſive volenter, ſive invitè: quomodo aliis Legibus conſenſus ſive obligatio convenit.

Legis definitio generalis alia. 10. Nos hanc damus definitionem Legis in genere: *Lex eſt decretum ſummæ poteſtatis, actionibus humanis regulam, ad certum aliquod ipſas obligantem, præſcribens.* Diximus, definitionem hanc eſſe *generalem*, competentem omnibus Legibus, tàm *divinis*, quàm *humanis*, tàm *bonis*, quàm *malis*, *ſcriptis*, quàm *non ſcriptis*, à quibus omnibus Lex in genere abſtrahit: quâ de re ſequentibus plura.

Lex eſt.

decretum. 11. Lex dicitur *Decretum*, eo quod eâ aliquid definiatur ac præſcribatur agendum aut omittendum. Et per hoc Lex rectè diſtinguitur à *Conſiliis*, *adhortationibus*, aut *dehortationibus*, quibus quidem aliquid monſtratur vel faciendum, vel fugiendum; verum

verùm iiſdem nihil imperatur, quandoquidem conſilium non eſt obligatorium, niſi ſit fraudulentum. *l.* 2. §. 6. *ff. Mandati l.* 47. *ff. de R.* J. nam conſilium poſitum eſt, extra neceſſitatem parendi, ſecus ac Lex.

Summa potestatis.

12. Decretum illud debet eſſe *ſummæ Poteſtatis*, penes hanc enim poteſtas Legislatoria eſt. Ubi notandum, multum differre *de lege aliquâ ferendâ cogitare*, aut Leges ſcribere; & aliud *Legem ferre*, ſive *ſancire.* Hoc ſolum Majeſtati competit, unde etiam omnem ſuam efficaciam & obligationis vim obtinet: Illud autem etiam privatis, hominibus ſcilicet prudentibus, convenire poteſt. *Vid. Cellar. in Polit. l.* 2. *c.* 8. §. 6. Diſtinguitur hoc modò Lex à decretis illarum perſonarum, quæ poteſtatem quidem & imperium in aliquos habent, alii tamen ſuperiori poteſtati ſunt ſubjectæ, v.g. Dominus ſuis ſervis, paterfamilias uxori, liberis & ancillis, imperare poteſt, atq; ſic aliquid decernere, per quod uxor, liberi, ſervi ad aliquid agendum vel omittendum obligentur, propriè tamen Lex dici nequaquam poſſunt.

13. *Dicis*: Si propriè illud ſolum Lex eſt, quod à ſummâ poteſtate dependet, ſequitur, quod Leges à Civitate aliquâ, aut Magiſtratu propriè dicto latæ, leges propriè non ſint, quia Magiſtratus quâ Magiſtratus

ſummæ poteſtati eſt ſubjectus, & civitates Imperiales Imperatorem, ut ſuperiorem, agnoſcunt & ab eô dependent. Id quod inſuper inde probari poſſe videtur, quod ſcribant: *Decretum in Senatu*, non autem *Sancitum*. Sciendum itaque eſt, aliquid à Majeſtate eſſe dupliciter. 1. *Immediatè* & ἀρχικῶς. 2. *Mediatè* & *Permiſſivè*, ſive *per Communicationem & conceſſionem*. Satis eſt ad naturam Legis, ſi dependeat à ſummâ poteſtate mediatè, etiamſi non ſemper dependeat immediatè.

Præſcribens regulam actionibus humanis

14. Lex porrò præſcribere debet *regulam actionibus humanis*; hic enim finis legis eſt, ut per eam actiones humanæ dirigantur, ut ſint tales, & non aliæ. Quoniam verò etiam conſilia, adhortationes & dehortationes aliquid videntur præſcribere, & tamen legis naturam nequaquam obtinent, additur: *ad certum aliquod obligans*: nimirum, ut hoc faciant, & contrarium omittant. Etenim homo non agens neceſſarium, ſed liberum, & quidem libertate & *contradictionis & contrarietatis*: quam libertatem cùm videat Princeps Reipublicæ, aut voluntati ejus non ſemper conformem aut utilem eſſe, eam per leges, quibus voluntatem ſuam ſubditis ſolet aperire Princeps, reſtringere conatur & determinare.

ad certum aliquid obligans.

15. Ut

15. Ut autem Lex vim & obligarionem ſuam obtineat, neceſſe eſt, ut Lex illa etiam iis, quos obligare debet, *promulgetur.* Sicuti enim ille, qui ſecum aliquid concipit, conſtituit & decernit, alios non informat aut juvat, niſi ſuos conceptus aliis ſigno aliquo extrinſeco manifeſtet, cum non ſint homines καρδιογνῶςαι, ita quoque Magiſtratus ſive Princeps, licet aliquid ſecum decernat, conſtituat, ac ſanciat, illud quidem conſtituit, quod Lex fieri poteſt & debet, ultimò tamen Lex propriè & perfectè ſine promulgatione non eſt; unde *l. 9. C. de Leg. rectè* dicitur, Leges ſacratiſſimas, quæ hominum vitas conſtringunt, *omnes homines intelligere debere.* Docet quidem *Bachov. ad Weſenb. pag. mihi* 24. formam Legis propriè dictam, eamque eſſentialem eſſe, *Juſſionem & ſanctionem ſuperioris, Promulgationem* verò *ſolum conditionem ſine quâ Lex non obligat, aut ejus accidens. Vid. Conring. diſp. de LL. theſ.* 31. quod etiam videtur probari poſſe, *per l. 1. ff. de Conſtit. Princip.* quod Principi placuit, Legis habet vigorem *§. 6. Inſtit. de J. N. G. & C. Vid. Robertus Sanderſon in tract. de Obligatione Conſcientiæ pag. mihi* 263. 295. 296.

quod debet promulgari.

ex conditione neceſſaria.

16. Hoc ut rectè intelligatur, ſciendum, in Legiſlatore tres præcedere actus, conſtitutionem Legis. 1. *eſt Conſultatio* ſive Conſi-

 lium.

lium. 2. *Judicium* ſive Electio, & 3. *imperium*, per quod Lex recipit vim, ut applicetur & obliget. Sed non obligat, niſi *applicatio per promulgationem* intercedat. Hi tamen tres actus non obligant, niſi promulgatio intervenerit: adeoque rectè dicimus, legem ſuam perfectionem non obtinere, ſine promulgatione, quamvis ſanctio Principis de Legis eſſentiâ dicatur: puto tamen id non eſſe accipiendum excluſivè, ſed incluſive. Probamus autem, Promulgationem eſſe de eſſentiâ Legis, ut obliget (nam Lex non obligans, Lex non eſt) *Can.* 3. *in iſtu. Diſtinct.* 4. Leges inſtituuntur, cum promulgantur *c.* 1. *extr. de Poſtulat. Prælat.* Sic *Novell.* 66. *c.* 1. expreſſè dicitur, Conſtitutiones valere, ex quo in commune factæ ſunt manifeſtæ, & poſt inſinuationem. Addatur *Novell.* 74. *in Epilogo. Molina tom.* 5. *tr.* 5. *diſp.* 70. *de Juſt. & Jur. Gudelin. de Jur. Noviſſ. l.* 5. *c.* 2. *pag. mihi* 227. *Meiſner. in tr. de Legib. pag.* 294. *Carbo de Legib. lib.* 3. *diſp.* 7. *Hahn in Not. ad Weſenb. pag. mihi* 74. Dicimus itaque, Leges ante promulgationem eſſe quidem ordinationes rationis, non tamen propriè Leges, cumprimis, ſi Leges accipiantur non *phyſicè*, ſed *moraliter*, quatenus ſunt medium dirigens actiones: utpote quæ media ſive inſtrumenta, omnia opere definiuntur & facultate, *teſte Philoſoph.* 1.

Sanctio tamen Principis Legis formam conſtituit.

An leges ante promulgationem, ſint leges?

Polit.

Polit. c. 2. Vid. Molina de Juſt. & Jur. tom. 5. tract. 5. diſp. 70. n. 1. pag. mihi 180.

17. Ut autem Lex hæc vim omnes obligandi per promulgationem obtineat, debebit illa promulgatio eſſe *ſolennis & ſufficiens.* Solennis, ſi publicè publicâ autoritate fiat, & cum illis ſolennitatibus, quæ ex communi uſu adhiberi ſolent, pro locorum conſuetudine; ut ſi per publicum præconem certis in locis edicatur aut affigatur. Sufficiens verò, cùm moraliter loquendo, ad omnium notitiam pervenire potuerit, ita ut poſſit præſumi contra ignorantes. *Promulgatio ſit ſolennis & ſufficiens.*

18. Lege ita in genere conſideratâ, ejus quoq; objectum conſiderandum eſſet: item Legis Virtutes & alia nonnulla requiſita. Verum quoniam hæc omnia rectius tractari poterunt, poſt Legis diviſionem, hanc illis præmittamus, propterea quia illa ex varietate Legum, etiam aliquam varietatem admittunt.

19. In diviſione autem Legis itidem Autores non conveniunt. Nos miſſis aliorum diviſionibus: ſequentem amplectimur, quà 1. dividitur in *Divinam* & *humanam*. 2. Divinam ſubdividimus in *naturalem* & *in divinam ſpecialiter dictam* ſeu *poſitivam.* 3. Humanam verò ſubdividimus, in *Gentium* & *Civilem*. *Lex alia eſt Divina: alia Humana.*

20. Prima diviſio deſumta eſt à cauſa efficiente nimirum Legem illam eſſe divinam, quæ habet Legislatorem Deum ipſum, quales ſunt, quas Deus Moſi dedit, in monte Sinai, *Exod.* 19. *&* 20. Humana, quæ ab homine ejusq; principiis dependet. Si itaq; Lex divina illa eſt, quæ à Deo data eſt, Lex naturalis Lex divina erit: Etenim *Apoſt. teſte Rom.* 2. Gentes, quæ Legem non habent, puta per Moſen promulgatam, naturâ opera legis faciunt, quo ipſo oſtendunt, legem cordibus eorum inſcriptam eſſe. Et eſt nihil aliud juxtà *Valentiam Tom.* 2. *diſp.* 7. *q.* 4. *punct.* 1. *pag. mihi* 884. quàm *naturale rationis noſtræ judicium ſeu dictamen, quo per lumen nobis ab æternâ lege impreſſum & inditum, evidenter cognoſcimus, ea eſſe facienda, quæ ita ſunt recta, & naturæ noſtræ cenſentanea, ut ea negligere ſit deforme, & naturæ repugnans, & contra, ea eſſe vitanda, quæ facere turpe ſit, & naturæ rationali minimè congruum.* A quô non abit *Hugo Grotius l.* 1. *de Iur. Bell. & Pac. c.* 1. *n.* 10. *pag. mihi.* 4. Jus naturale eſt dictatum rectæ rationis, indicans actui alicui ex ejus convenientiâ aut diſconvenientiâ cum ipsâ naturâ rationali, ineſſe moralem turpitudinem, aut neceſſitatem moralem, ac conſequenter ab auctore naturæ Deo, talem actum aut vetari, aut præcipi. Actus, de quibus tale extat dictatum, debiti ſunt, aut illiciti per ſe, atque

Ius, ſive Lex Naturalis

atque ideò à Deo neceſſariò præcepti aut vetiti intelliguntur. *Hæc Grotius.*

21. *Ariſtoteles* verò Legem naturalem *l. 5. Eth. c.* 10. (*alias.* 7.) definit, quod ſit ea, quæ ubique eandem vim habet, & non, quia ita videtur, aut non videtur. Sed hæc definitio à poſteriori eſt; Valentiæ verò à priori, indeque Ariſtotelica melior.

22. Quoniam verò *obligatio* de eſſentia omnis Legis eſt, etiam Lex naturæ obligabit propriè *creaturam rationalem*: quæ obligatio contingit, ſi Lex proponatur & promulgetur: quæ promulgatio accidit, quando homines divinitus naturam intelligentem accipiunt, per quam cognoſcere & dijudicare poſſunt, quæ ſint honeſta & humanæ dignitati conſentanea, quæ item turpia & indecora. Nempe Deus ex præſcripto æternæ ſuæ Legis congenitum aliquod lumen, & naturale rationis dictamen nobis indidit & inſevit, è quo cognitio & judicium oritur. Et hoc ipſum eſt Lex naturalis, radius videlicet & participatio & quaſi impreſſio quædam æternæ Legis.

Lex Naturalis propriè obligat creaturã rationalẽ.

23. Et quoniam hoc lumen & dictamen rationis quoad univerſalia ejus pronunciata (*vid. Valentia l. c. pag.* 884.) omnibus hominibus commune eſt, etiam omnes omninò homines eâ lege conſtringentur, ut nulli, cujuſcunque conditionis ſit, conceſ-

Lex Naturã omnibus eſt communis, omnesq; obligat

ſum

ſum ſit, contra Legem agere. Quod tamen ita intelligendum eſt, non quaſi omnis homo, ab illo momento, quo naſcitur, ſtatim obligetur hoc jure, actu: Siquidem hæc Lex non connaſcitur actu, ſicuti nec ulla ullius rei cognitio, ſed potentiâ; non quidem remotâ, quæ multô labore & longo tempore indigeat, ut in actum deducatur, ſed proximâ, quæ videlicet, quam primũ ſe ratio vindicare & exercere incipit, in actum prodit. *Vid. noſtra diſp. Metaph. X I. in l. 1. Metaph. c. 7. q. 2. pag. 268. item Clariſſ. Dn. Joh. Zeiſold. in tr. de Notitiis Naturalib.*

non à momento nativitatis, actu, licet potentia proximâ.

24. Propriè igitur & accuratè loquendo, tunc incipit Lex naturalis hominibus efficaciter proponi & promulgari, cum incipiunt ratione uti, & inter bonum ac inter malum diſcernere. Et quemadmodum tunc effectum ſuum ſortiri incipit, quod directionem attinet, ita quoque quod obligationem: ex eò enim incipiunt obligari, ut ſi contrà illam Legem agant, peccent. *Vid. Beat. Calixt. in Theolog. Morali, pag. mihi* 46. 47. JCti aliter deſcribunt tempus, quo quis incipiat obligari Lege naturæ, ſcilicet quo quis eſſe incipit doli capax. Unde etiam impuberes obligantur ab illâ ætate ad obſervationem juris Naturalis.

actu, quâdo incipiunt ratione uti

25. Diximus, Legem naturalem, quoad univerſalia ejus pronunciata, omnibus homini-

minibus eſſe communem, quod non ita accipiendum eſt, quaſi lex illa apud omnes homines in perpetuô fuiſſet vigore & obſervantia: quandoquidem apud aliquos propter pravam conſuetudinem & cæcitatem, Lex naturæ ita poſſit eſſe obruta, ut quoad aliquas concluſiones non ſit nota: ita ut videatur Lex illá naturæ penitus illis non communis fuiſſe, dum integræ & multæ gentes, etiam moratæ, Legi naturali contrariam Legem poſuerint, & juxta illam vixerint. Exempla benè multa *vid. ap. beat. Calixt. l. c.*

26. Ex hac cauſa, Deus non fuit contentus, Legem naturæ cordi hominum inſcripſiſſe: ſed eandem denuò peculiari promulgatione patefecit & ante mortaliū oculos poſuit, animisque inculcavit, & quidem eô tempore, quo Lex naturæ apud multos paulatim obſcurari cœpit. Illa itaque Lex, quam Deus denuò & peculiari ratione promulgavit, eſt *Lex Moralis*, quæ etiam eſt Divina & Naturalis. Siquidem Decalogus illas actiones continet, quæ ex ſe & ratione objecti, ſive juxta tenorem æternæ Legis in Lege naturali relucentis & expreſſæ, humanam & rationalem naturam deceant, quæ dedeceant; ſi modò excipias ceremoniam, quæ tertio præcepto, *Sabbatho*, poſitivè annexa eſt. Cum igitur ex ſe & ratione ſui decent vel dedecent, ſive honeſtæ ſive inhoneſtæ ſunt

Ex qua cauſa DEUS Legem Naturæ peculiariter promulgârit?

Lex Moralis.

actio-

actiones, ideò vel mandatæ ſunt, vel prohibitæ: Non autem contra, quia mandatæ ſunt, ideò bonæ, quia prohibitæ, ideò malæ: hoc enim non iis, quæ ſunt Legis Naturæ, ſed in aliis, quæ ſunt juris poſitivi, obtinet. Non itaque videtur Lex moralis alia Lex, & quidem materialiter, à Lege Naturæ, licet quoad rationem promulgationis ab hâc differre appareat.

Diſpenſatio quomodo in Lege Natura & Morali?

27. Et ideò, quia Lex Moralis eſt Naturalis, ideò in illâ *nulla diſpenſatio* locum habet, etiam ex parte Dei: utpote quæ non admittitur æque in jure Naturali: id quod ita verum eſt, ſi maneant idem objectum & eædem circumſtantiæ. Atque ita fieri & concedi non poteſt, ut illa Lex ab homine aliter citra crimen tractetur, quia à juſtitia & æternâ ſuâ Lege, adeoque â ſemetipſo Deus deficere non poteſt. Quod ſi verò objectum & circumſtantiæ mutentur, actio, quæ ante videbatur contra Legem naturæ, amplius contra eam non eſt. v. g. furtum nec à Deo ulli citra peccatum permitti poteſt: & tamen cum Iſraëlitæ, Deo jubente, *Exod. XI.* Ægyptiis vaſa argentea ſurripuere, nullatenus furtum committebant, cum illa vaſa reddita fuerint propria merces laborum exantlatorum in extruendis Urbibus Ægyptiacis. *Vid. beatus Hornejus in Doctr. Civil. l.* 4. *c.* 3. *n.* 39. *pag. mihi*, 609. In morali quidem Lege, gratia quædam alicui fieri poteſt, circa obſerva-

ſervationis modum, quando ſcilicet DEUS nobiſcum condeſcendit, & obſervationem noſtram Legis imperfectam pro perfectâ ex fide nobis imputat.

28. In Decalogo, qui Lex naturæ eſt, cum contineantur præcepta ſive Leges tàm affirmativæ, quàm negativæ, hic ſemel pro ſemper notandum, quod illorum præceptorum diverſa ſit Obligatio; & quidem *præcepta affirmativa obligare omnes*, quibus data ſunt, *ſemper, non tamen ad ſemper: Præcepta verò negativa ſemper & ad ſemper.* Semper obligare juxta Scholaſticos eſt, non omni tempore obligare, ſed ſolum illo, quo datur occaſio & commoditas, & quoties datur. v. g. Lex naturæ jubet, erga egenos exercere liberalitatem & miſericordiam: item parentes honorare: non tamen hoc jubet, aut ad id obligat, ut ſingulis momentis ſuccurras, & parentes honores, ſed quando egeni occurrunt, & occaſio ſeſe præbeat benefaciendi & honorandi: non quaſi tempore intermedio actus contrarius eſſet conceſſus, licet, ubi egeni non ſunt, actus intermitti poſſit. *Ad ſemper verò obligare*, eſt quovis tempore obligare ſive detur occaſio agendi, ſive non: v. g. quando Lex prohibet furtum, obligat te, ut totâ vitâ & omni tempore à contrectatione rei alienæ animo lucrandi abſtineas. Et hoc obtinet non ſolum in Lege naturali, ſed

Obligatio diverſimode ſe habet, in præceptis Affirmativis, & Negativis.

Quænam obligent ſemper;

quæ ad ſemper;

cuniam mutuò acceptam, eadem quantitate & qualitate reddendam eſſe: nam hæc licet ex principiis primis fluat, quomodo tamen fluat, non ab omnibus ſtatim cognoſcitur. *Vid. beat. Hornejus in Doctr. Civil. l. 4. c. 3. pag. 595.*

31. Quod ſi verò à primis principiis, ad particularia deſcenditur, ita ut conſequentiæ neceſſitas vel evidentia non appareat, & tamen, quæ conſtituta ſunt, ab habente poteſtatem conſtituendi bono publico conſtituta fuerint, erit *Lex Poſitiva*, ita dicta, quod à principiis univerſalibus non deducatur, ſed ita, uti ſeſe habet, arbitrio ſtatuentis ponatur. *Vid. Meiſner. in Diſſert. de Legib. l. 3. q. 8. pag. mihi.* 201. *& ſeqq.* & naturali ſemper aliquid addit, ac aliquando eã, ſi relata ad ſpecialem actionis conditionem ſive modum indeterminata ſit, determinat, v. g. Legis naturæ eſt, adulteria, furta & alia peccata puniri, at quo genere pœna puniri debeant, Lex naturæ non determinat, ſed Lex poſitiva.

Concluſiones particulares & remota cõſtituunt Legem Poſitivam.

32. Hæc *Lex poſitiva duplex* eſt, vel *Divina, vel Humana.* Lex poſitiva Divina. v. g. illa eſt, quâ Deus genus humanum ad felicitatẽ æternam vult deducere, & vocari poteſt *Lex ſupernaturalis*, quam homo cognoſcere viribus naturalibus non poteſt, ſed peculiari opus habet revelatione & gratiâ: Talis Lex poſitiva inſtatu innocentiæ erat, quâ

Lex Poſitiva, vel eſt Divina, vel Humana.

Lex Poſitiva divina vel eſt ſupernaturalis.

jubebatur abſtinere ab arbore ſcientiæ boni & mali, & poſt lapſum *fides* eſt, per quam conſequimur vitam æternam: de quâ uberius videantur Theologi, cumprimis *beat. Calixtus in Theol. Morali pag. 65. & ſeqq.* Quod autem hæc Lex rectè dicatur poſitiva, patet inde, quia naturali ſuperaddita eſt; quæcunque enim Lex naturali ſuperadditur, poſitiva ex communi Dd. ſententia rectè dicitur.

33. Hæc Lex poſitiva Divina ſupernaturalis, ex fine ſupernaturali rectè talis dicta, ſupponit naturalem; etenim cum naturalis Lex omnes omninò homines ſemper obligaret, & tamen nullô in ſtatu ullus homo ſibi relictus eâ vitam æternam conſequi poterat; ſanè cum homo ad finem ſupernaturalem erat conditus, etiam Lege & viribus ſupernaturalibus indigebat: quod intelligi poteſt *ex Rom. 7. 14.* Scimus Legem Spiritualem eſſe. *Beat. Calixt. l. c.* Atq; hæc de Lege Naturali, Divina, poſitiva.

Vel eſt Ceremonialis & Judicialis

34. Eſt præterea adhuc alia *Lex poſitiva Divina* ratione cauſæ efficientis, quæ vocatur *Eccleſiaſtica* ſive *Ceremonialis*, & *Judicialis* ſive *Forenſis*, quæ ab ipſo Deo populo Iſraëlitico ſunt præſcriptæ: nos autem hodie neceſſario non obliganr, ſicuti moralis, quæ perpetua eſt, quod aliquo modo inde quaſi colligi poteſt, quod Deus Legem Moralem ob perpetuitatem ſuam peculiariter

tabu-

tabulis lapideis digito ſuo inſcripſerit: non ita Ceremoniales & Forenſes; uti alludunt nonnulli Theologorum.

Lex Humana, vel eſt jus Gentium: vel Civile.

35. Hactenus de Lege Divina. Agendum jam eſt *de Lege Humanâ*, ita dicta à cauſâ efficiente, quod autorem habeat voluntatem hominis, ſicuti Divina, quæ Deum autorem habebat: Et diſpeſcuimus eam *ſupra* §. 19. in Jus ſive *Legem Gentiū*, & in *jus Civile*.

Jus Gentiū quid?

36. Quid ſit Jus Gentium, inter Autores non convenit. *Juſtinianus* §. 1. *Inſtit. de Jur. Nat. G. & C. ait*: Quod naturalis ratio inter omnes homines conſtituit, id apud omnes populos peræque cuſtoditur, vocaturque Jus Gentium, quaſi quo jure omnes Gentes utuntur. *L.* 1. § 4. *ff. de Juſt. & Jur.* dicitur eſſe illud jus, quo gentes humanæ utuntur, & *l.* 2. *eod.* ad id revocatur, Religio erga Deum, ut parentibus & patriæ pareamus *l.* 3. *eod.* ut vim & injuriam propulſemus: nam hoc jure evenit, ut quod quisque ob tutelam corporis ſui fecerit, jure feciſſe exiſtimetur. Verum quod hæc non ſint juris gentium, ſed juris naturæ, expeditum eſt: *Reſpondendum* tamen eſt, Jus Gentium hic in latâ ſignificatione accipi, quatenus illud dicitur Jus Gentium, quo omnes Gentes utuntur, quâ in ſignificatione comprehenditur quoque jus naturæ, utpote quo etiam omnes Gentes, quia eo omnes homi-

nes, quales etiam Gentes ſunt, utuntur, quæ ſignificatio recte videtur probari poſſe, *ex* §. 1. *Inſt. de Rer. Diviſ.* ubi, quod vocatur *in fin. Jus Gentium*, dicitur *Jus naturale, in principio: item* §. 41. *Inſtit. eod.* Et in hoc ſenſu nonnulli Jus Gentium vocant *Primævum. Vid. beatum Dn. Ungepaur in tr. de Iure Naturali c. 3. Item Conring. in diſp. Polit. de Legib. n. 24.*

Quo ſenſu Jus Gentiũ dicatur Primævũ?

38. Nobis jus Gentium illud eſto cum Juſtiniano §. 2. *Inſtit. de I. N. G. & C.* quatenus à jure Naturali diſtinguitur, quod gentes humanæ, *uſu exigente & humanis neceſſitatibus* ſibi conſtituerunt. Et explicat illud egregiè *Weſenbecius in* παρατιτλ. §. 16. quando inquit: *Jus Gentium illud nobis eſto, quod non ex notitia ſimplici nobiſcum naſcitur, ſed compoſitâ, h. e. ex ratiocinatione commodorum vitæ & ſocietatis à ſapientibus multò rerum uſu, variâq; doctrinâ inveſtigatum, excultum & introductum, in omnium Gentium* (non quidem mathematicè ſumtarum, ſed moraliter) *uſum pervaſit. & propter evidentem utilitatem ab omnibus peraeq; cuſtoditur.* Et puto illis verbis, *uſu exigente*, indicari differentiam aliquam Juris Naturalis & Gentium, quod illud ſit ex merâ & abſolutâ ratione, nullo utilitatis reſpectu, nulla commerciorum ratione habitâ, à ſolâ providentiâ Dei conſtitutum; hoc verò eſt quidem ex ratione, ſed uſibus & neceſſitatibus humanis mixtâ, introdu-

Differentia Iuris Naturæ & Gentium.

troductum. *Vid. Hahn. in not. ad Weſenb. part. 1. pag. mihi.* 46. 47. 48.

38. Antequam autem ad Legis Civilis tractationem accedamus, unicam hanc annectemus de Lege Gentium *quæſtionem, quomodo ſcilicet Gentium Lex, lex dici queat?* Nam Legis natura in eò conſiſtit, ut dependeat à voluntate jubentis, ſive Majeſtate. Gentium Lex non à Majeſtate dependet, ſed à populorum *conſenſu*, atq; ſic ab *acceptatione*: quæ tamen acceptatio de Legis requiſito nullatenus eſt: quandoquidem Lex etiam invitis datur. *Vid. Carbo. tract. de Legib. l.* 3. *diſp.* 10. *pag.* 114. 115. *item libr.* 5. *diſp.* 10. *pag.* 202. *& ſeqq. Gregor. de Valentia. l. c. pag.* 944. *Arriaga l. c. pag.* 202. Deinde: aut omnia omnium pacta, quibus ſe privati ſibi invicem obligant, Leges dicenda ſunt, aut Gentium Lex, Lex dicenda non eſt: ratio enim differentiæ reddi non poteſt. Sed pacta illa Leges non dicuntur. Ergò neq; Gentium jus rectè Lex dicetur. ℞. Legem à Majeſtate, & à voluntate illius, qui Majeſtatem habet, dependere non negamus: Verum Jus Gentium à Majeſtate & illius voluntate non pendere, id eſt quod negamus: non obſtante, quod populorum conſenſu indigeat. Siquidem Lex pro diverſa Rerumpubl. forma, quoad hoc etiam diverſimodè ſe habet: in regno abſoluto, abſolutè à voluntate &

Quomodo Ius Gentiū poſſit dici Lex?

juſſu Principis pendet; nullo prærequiſito ſubditorum conſenſu: pariter in Ariſtocratia, ubi à mandato Optimatium dependet. Verùm in Politia aliter ſe habet: in eâ enim cum Majeſtas ſit penes omnes, & Lex à voluntate ejus, qui Majeſtatem habet, eſt, à voluntate omnium hoc modo Lex dependebit; alias ſi Legem non vellent, non ferrent. *Dicis*: at ita Lex non fertur etiam invitis. ℞. *Volentibus* datur *collectim ſumtis*: licet uni aut alteri diſtributivè ſumto non placeat: cum in Politiâ Majora obtineant. Non itaque neceſſe eſt, ut recurramus ad uſum loquendi, qui dicendi Magiſter eſt: quamvis me non lateat id, quod *Ariſtot. docet* 1. *Topic. c.* 10. §. 7. & 2. *Topic. c.* 2. & §. 5. res illis nominibus appellandas eſſe, quibus multi utuntur, ſive loquendum cum vulgo, ſentiendum cum paucis, ſive ſapientibus.

An acceptatio ſit de eſſentia Legis.

39. Hinc nondum rectè infertur, Acceptationem requiri ad naturam Legis. *Per accidens* enim hic eſt, quod ab omnibus acceptetur, ſive voluntas eorum, qui obligantur, adveniat, cum conſiderentur hic non, ut ſubditi, ſed ut habentes Majeſtatem. Nam Gentes conſideratæ, quatenus unam mundi conſtituunt Rempublicam, habent ſe ut partes illius Reipublicæ communis, ſive Politiæ: unde etiam, ſi quædam Gentes contra tale jus Gentium de facto peccent, à cæte-

à cæteris tanquam unius Reip. partibus coërceri & puniri poſſunt, bello ſcilicet, vel aliter.

40. Quod verò attinet, Jus Gentium hoc modo *Pactum* eſſe, nobis non obſtat: quandoquidem ipſe Ariſtoteles Legem pactum vocat quoddam 1. *Pol. c.* 4. (*aliàs* 6.) *it.* 5. *Ethic. cap.* 5. (*alias* 7.) συνθήκην, i. e. pactum. Sponſio vertitur *l.* 2. *ff. de LL.* Siquidem pactum in latâ ſignificatione eſt duorum vel plurium in idem placitum conſenſus; licet ſtrictè, ſit conventio & nomine & causâ vacans. Hinc tamen non ſequitur; Ergò omnia pacta privatorum Leges eſſe: quia jus Gentium cum Majeſtate eſt: quâ privati carent. *Vid. Hahn. in not. ad Weſenb. part.* 1. *pag.* 64. *Grot. de Jur. Bell. & Pac. l.* 2. *c.* XI. *n.* 1. *Quomodo Lex pactũ ſit.*

41. Nota tamen, unam ſolùm, aut alteram Gentem non habere illam Majeſtatem, ut poſſit jus Gentium conſtituere, ſed vel omnes, vel plurimas & maximam partem. Nemo enim dixerit illud Juris Gentium eſſe, quod inter Hiſpanos & Batavos peculiariter conſtitutum eſt, ut bello captus, à ſuò captore ſe unius menſis ſtipendio ſuo redimere poſſit. Hoc enim potius pactum peculiare dici debebit, quam Jus Gentiũ, quia hoc omnes obligat gentes: illud ſolum paciſcentes partes. Si enim à Cæſarianis, aut Turcis quis capiatur, non obligat illud pactum Hi- *Quomodo, & quanã Gentes cõſtituãt jus Gentium?*

ſpanorum & Batavorum eos, ut captum tali ſtipendio unius menſis dimittant,& libertati reſtituant.

Ius, ſive Lex Civilis

42. Hactenus primum membrum Legis Humanæ, ſcilicet Jus, Gentium pertractavimus. Sequitur alterum, *quod* §. 19. diximus, *Jus Civile*, ſive *Legem Civilem eſſe*. Ubi ſtatim initiò notandum, nos non cum JCtis Jus civile accipere κατ' ἐξοχὴν, pro jure Romano, prout accipitur §. 2. *Inſtitut. de Jur. Nat. Gent. & Civil.* quando dicitur: Sed quoties non addimus nomen, cujus ſit Civitatis, noſtrum jus ſignificamus: ſed potius in illa ſignificatione, quatenus Jure Gentium contradiſtinguitur, & vocari poteſt *Jus proprium*, quod ſcilicet quilibet populus ipſe ſibi conſtituit. Ex quo apparet, neque hic à nobis Legem Civilem rectè in illâ ſignificatione definiri cum Juſtiniano, eſſe eam, quam Populus Romanus Senatorio Magiſtratu interrogante (veluti Conſule) conſtituit. Hæc enim definitio ſuo definito eſſet anguſtior, habito nimirum reſpectu ad Legem à Principe in regno latam, quæ etiam Lex Civilis eſt, nec tamen Conſule rogante conſtituta. Proinde non contradiſtinguimus Plebiſcitis, Senatusconſultis, Prætorum edictis, JCtorum reſponſis: hæc enim omnia ſpecialia ſunt, non generalia.

43.

43. Nos Legem Civilem illam dicimus, quatenus ſcilicet Naturali & Gentium opponitur, *quam populus unusquisq; aut qui ejus vicem ſuſtinet, ſingulis ſuæ Reipublicæ civibus aut ſubditis præſcribit.* Alii ex *Ariſtotelis 5. Ethic. c.* 10. Legem Civilem ſeu propriam (quia opponitur Gentium & Naturæ, quæ ſunt jura communia) dicunt eam, quæ tale quid præcipit quod ab initiô, utrum hoc an illo modò fiat, nihil refert: ubi verò conſtitutum eſt, refert. Talis Lex eſt illa *Thebanorum*, quâ cautum fuit, ne quis ad Magiſtratus honores admitteretur, niſi decenniô mercatura abſtinuiſſet, *teſte Ariſtotele* 3. *Polit. c.* 5.

Quæ opponitur Naturali & Gentium.

Quid Lex Civilis.

44. Hæc Lex Civilis duplex eſt: vel enim eſt *ſcripta*, vel *non ſcripta*: quæ diviſio deſumitur ex modò ferendi: & ſcripta eſt, quæ literis tradita, aut æri inciſa, aut modô aliô legenda proponitur: Sive quæ ſanctione expreſſâ uno tempore & fertur, & valet. Non ſcripta, quæ tali aliquo modô promulgata non eſt, *vid. Cellar. l.* 2. *Polit. c.* 8. §. 19. Hæc diviſio dupliciter accipi poteſt. 1. ut per eam non diverſæ innuantur Leges quoad ſubſtantiam, ſed eædem diverſæ ſolum ſecundum accidens, ut nimirum Lex illa, quæ principiô vivâ voce fuit per præconem promulgata, poſt tractu temporis in ſcripturam redacta, melioris memo-

Lex Civilis, vel eſt Scripta, vel non Scripta.

Quæ diviſio dupliciter poteſt accipi, I.

riæ ergò: quomodo etiam ipſum *verbum* DEI dividitur *in ſcriptum* & *non ſcriptum*: non quaſi verbum non ſcriptum aliud eſſet à ſcripto, prout Pontificii ſuas venditant traditiones, quas pari pietatis affectu recipiendas eſſe docent cum ipſo DEI verbo: ſed quod illud ipſum verbum, quod ab ipſo Chriſto & Apoſtolis in principiô ore & vivâ voce prædicatum, id ſubſequenti tempore in

II. ſcripturam redactum ſit. 2. Poteſt accipi, ut denotat diverſas Leges, aliquando etiam contrarias: quando videlicet Lex non ſcripta accipitur pro conſuetudine, quæ inveterata pro Lege cuſtoditur, *l.* 32. *ff. de LL. item l.* 33. *ff. eod.* Unde etiam dicitur, quod poſſit veterem Legem tollere. Et hoc modo Lex non ſcripta illa eſt, quæ tacito Majeſtatis conſenſu, non uno temporis puncto, ſed longô uſu introducta eſt.

An Scriptura ſit de eſſentia Legis?

45. Hinc apparet, illorum opinionem ſubſiſtere non poſſe, qui ſtatuunt, *Scripturam eſſe de eſſentiâ Legis. Vid. Hunnius in reſolution. ad Inſtit. pag.* 63. Nam Lacedæmonii non caruerunt Legibus, quæ tamen nunquam in Scripturam fuerunt redactæ, ſicut Athenienſum, uti conſtat ex §. 10. *Inſt. de Jur. N. G. & C.* ac diſertè apud Lacedæmonios Lege cautum fuit, ne Leges ſcriberentur, ut melius animo ſervarentur, *teſte Plutarcho in Lycurg.* Quid, quod Lex Naturæ

turæ nunquam in ſcripturam ſit redacta & tamen Lex eſt: quomodo itaque Scriptura de eſſentiâ Legis erit? Imò ipſe Ariſtoteles teſtatur *ſect.* 19. *Problem.* 28. Homines priusquam literas ſcirent, cantâſſe Leges, ne eas oblivioni traderent, & ideò pleræque dictæ ſunt Cantilenæ. Hinc concludimus cum *Ariſtotele l.* 10. *Ethic. c.* 11. *Nihil* (puta eſſentialiter) *intereſſe, ſcriptæ ne ſint, an non ſcriptæ Leges.* Niſi forſan *ſcribi* accipias in illa ſignificatione, quâ dicitur Lex ſcribi, quocunque modô & à quocunque illa tandem *jubeatur ac ſanciatur*, quæ acceptio latiſſima eſt, ita ut hoc modo etiam dicamus Legem naturalem ſcriptam eſſe in cordibus hominum: item; quod hoc modo omnis Lex debeat præſcribi. *Vid. Conring. in diſp. de Legib.* §. 27, *Arumæus in Exerc.* 1. *Inſtit. n.* 16. *pag. mihi* 719. *Dn. D. Ludwell. in Comm. ad Inſtit. pag.* 12. *Reifenberger in ratione legendi Inſtit. pag. mihi* 97. 98. *Andreas Gerhardus ad Inſtit. Exerc.* 1. *q.* 1. 6. *Arniſæ. in dr. Pol. l.* 1. *c.* 17. *pag.* 168.

Scribere legem, ambiguum eſt.

46. *Dicis*: ſi hoc verum, nulla videtur apparere differentia inter Legem propriè dictam & conſuetudinem, utpote quæ Jus ſive Lex non ſcripta eſt. Aut ad minimum ſequeretur, quod conſuetudo, quæ Lex altera dicitur, ſi in ſcripturã redigatur, propriè Lex fiat, quod tamen non conceditur. *Hunnius l. c. pag.* 69. ℞. quod hoc modo nulla daretur

Legis & Conſuetudinis differentia.

inter legem & conſuetudinem differentia, negandum eſt: ſiquidem ad conſuetudinem

Conſuetudinis requiſita. I. requititur *uſus*, ſive actuum frequentia *l.* 1. C. *quæ ſit long. conſuet. l.* 3. C. *de Ædif. privat.* quæ autem dicantur frequenter fieri, dicitur *l.* 5. & 6. *ff. de LL. l.* 15. §. 22. *ff. de Injur.* quorum actuum frequentia, ut conſuetudinem introducant, arbitrio judicis relinquenda. *Dn. D. Ludwell. in Comm. l. c.* II. *Temporis diuturnitas*, quod tempus itidem judicis arbitrio relinquendum. III. *Tacitus populi conſenſus*, qui ex rebus ipſis ſive factis colligitur. *l.* 32. §. 1. *ff. de LL.* Sed hæc ad Legem neceſſaria non ſunt. *Vid.* §. 44. *in fin.*

Conſuetudo in ſcripturam redigi poteſt variis ex cauſis, quæ tamen non ſtatim Legẽ faciunt. 47. Quod verò attinet, ſi conſuetudo in ſcripturam aliquam redigatur, quod illa indueret naturam Legis: diſtinctè Reſpondendum eſt: Conſuetudo dicitur jus non ſcriptum, non quod nunquam in ſcripturam redigi poſſit, ſed ratione originis & initii, reſpectu cujus conſuetudo eſt inhabilis per ſcripturam introduci. At ex poſtfacto in ſcriptuarm redigi vel memoriæ & melioris probationis gratia poteſt, ſalvâ natura conſuetudinis. Si verò autoritate publicâ & eò fine in ſcripturam redigatur, ut fiat Lex, ceſſat eſſe conſuetudo. Quando verò non hoc fine in ſcripturam redigitur, ſed ſolum, ut dictum, memoriæ & facilioris probationis ergò, manet conſuetudo & jus non ſcriptum,

ptum, non obſtante, quod ſcriptum ex accidente ſit. Ex quô apparet, *Gratian. can. 5. diſtinct.* 1. malè dividere Conſuetudinem (ratione originis) in Scriptam & non Scriptam. *Vid. Dn. D. Ludwell. l. c. Conrad. Rittersh. in Inſt. pag. mihi.* 29.

48. Hoc modô rectè adhuc hodiè *jus feudale* Conſuetudinarium appellatur, licet iſtud memoriæ causâ in ſcripturam redactum ſit. *Vid. Dn. D. Ludwell. in Synopſi Feudali, pag.* 12. Hinc *Arumæus exercit.* 1. *ad Inſtit. n.* 20. *pag. mihi* 466. negat, quod expreſſo conſenſu Friderici II. & eâ intentione in ſcripturam relatæ ſint conſuetudines Feudales, quod naturam primævam amittere, & juris ſcripti nomen aſſumere debeant: & ut brevibus concludam: Approbatæ ſunt, non ut Leges, ſed ut Conſuetudines. *Ius Feudale dicitur Conſuetudinarium.*

49. Miſſam faciamus Conſuetudinem & jus non ſcriptum, ſi prius conſideraverimus, quomodo, & an conſuetudo Legem veterem abrogare, aut immutare poſſit? Interpretari conſuetudinem poſſe Legem, puto extra dubium eſſe, *vi l.* 37. *ff. de LL.* ubi dicitur, *optima eſt Legum interpres, conſuetudo.* Verum quomodo Legem immutet, aut penitus veterem abroget, Autores non conveniunt: Cum enim conſuetudo plerumque ab illicitis actibus incipiat, atque ita *An Conſuetudo Legem veterem poſſit abrogare?*

ex multis malis aliquid conflatum habeat; deinde privatis civium actibus invaleſcat, quis ſalvâ veritate conſuetudini tantum tribuet, ut ſanam Legem tollere queat. Ne autem nimium noſtra diſputatio accipiat incrementum, maximè quod JCti hanc quæſtionem ex propoſito tractent, benevolum lectorem ad eos remiſſum cupimus, cumprimis *vid. Dn. D. Ungepaur, Exerc.* 2. *q.* 8. *Fibigius, exerc.* 1. *Collegii Legalis q.* 9. *Andreas Gerhard. Exerc.* 1. *q.* 9. *Conring. diſp. de Leg.* §. 2. *Hunnius in reſol. l.* 1. *tr.* 1. *q.* 27. *Carbo in tr. de Leg. l.* 9. *diſp.* 3. De Conſuetudine plura videantur apud *Laymannum in Theol. Mor. l.* 1. *tr.* 4. *c.* 24. *pag. mihi* 192. *Ortholph. Foman. diſp.* 1. *th.* 36.

Aequitas. 50. Hujus conſuetudinis ſive juris non ſcripti datur adhuc alia ſpecies, ἐπιείκεια, ſeu *Æquitas* dicta, pertinens ad juris ſcripti interpretationem, ampliationem & ſupplementum *Weſenb. in π. ff. de Juſt. & Jur. n. ult.* quæ à quibuſdam in ſcriptam & non ſcriptam, ſed perperam diſpeſcitur. *Vid. Fibig. Exerc.* 1. *Colleg. leg. ſemidec. q.* 3. *Hunnius l. c. q.* 13. *Giphan. in* 5. *Ethic. c.* 10. *Arumæus Exerc.* 1. *n.* 8. *pag.* 716.

Lex Civilis ſcripta, vel eſt Fundamentalis, 51. Redeamus jam ad Legem Civilem ſcriptam, ac ulterius eam dividamus in *Fundamentalem* & *Non fundamentalem.* Lex fundamentalis, quæ fertur de ineundâ ſeu conſti-

conſtituendâ Reipublicâ, vel ejus conſtitutæ adminiſtratione & regimine, ut ſocietas civilis ſarta tecta ſit & ſalva. Vocantur aliàs *jura regni.* *Vid. Hœnon. diſp. Polit.* 1. *n.* 23. Tales Leges fundamentales ſunt in noſtrâ Romano Germanicâ Republicâ, *Aureâ Bulla, Receſſus Imperii, Tranſactio Paſſavienſis, Inſtrumentum Pacis, Capitulationes Imperatoriæ, &c.* *Vid. Carpz. ad L. Reg. c.* 1. *ſect.* 3. *&* 4. Non Fundamentalis eſt, quæ ſubditis, quid inter ſe agant, determinat: cujuſmodi ſunt *maximâ ex parte* illæ, quæ in corpore Juris Civilis exhibentur, ut, ſeptem teſtamento teſtes adhiberi debere; ſtudio autem dicitur, *maximâ ex parte*: ſunt enim quædam præter has in Corpore Juris Leges ad ſtatum Rei Romanæ ſpectantes: quorſum refer titulos de variis officiis Magiſtratuum, de judiciis publicis, &c. quæ ita ſe habent, ut etiam ſtatui hodierno noſtro applicari poſſint, licet ad id magnâ cautione opus ſit.

Vel

Non Fundamentalis.

52. Sunt adhuc aliæ diviſiones, non quidem eſſentiales, ſed accidentales, quibus Lex dividi poteſt: nimirum, aliquam eſſe *univerſalem*, aliquam *particularem*: Illa eſt, quæ toti civitati, ſive omnibus civibus in Republicâ viventibus datur, v. g. nemini conceſſum eſto, arma hoſti vendere: item, licitum non eſto, quenquam pecora à mili-

Lex alia eſt Univerſalis.

tibus

tibus ſurrepta, pretio etiam viliſſimô ſua facere. Hæc verò, quæ uni aut alteri civitatis parti, vel etiam uni individuo præſcribitur. v. g. tales Leges ſunt, quæ collegiis, artificibus ſive opificibus à Magiſtratu dantur: quò referri poſſunt Leges veſtiariæ, quæ pro civium diverſo ordine diverſæ ſunt, v. g. quod nemo opificum uti debeat veſtimentis ſericis, quod eorum mulieres vittis aureis incedere nequeant: Leges quæ Individua, concernunt, poſſunt haberi illæ quæ leguntur. 2. *Reg.* 2. *v.* 5. *&* 9. 36. 42. *de Joab & Simei.*

alia Particularis.

Alia eſt Juſta, alia Injuſta.

53. Lex præterea, alia *juſta ſive bona* eſt, *alia injuſta ſive mala*: Juſta eſt, per quam juſtitiæ ſatis fit, & rectæ rationi conformiter vivitur. Injuſta, per quam juſtitia læditur, & vita noſtra à rectâ ratione abludit. Verum ingens hîc controverſia incidit, num ſcilicet hæc diviſio rectè ſe habeat, *cum Lex injuſta verius Lex non ſit*, ſecundum multorum opinionem: quam conantur probare ſequentibue rationibus. 1. Quia Lex injuſta vim cogendi non habet; nam parendi neceſſitate ſubditi eâ non adſtringuntur, cum plus rectæ, quam corruptæ rationi debeant obedire. Addunt, quod Ariſtoteles, Leges injuſtas Reipublicæ corruptæ accommodatas eſſe doceat. 3. *Pol.* 7. (*aliàs* 11.) cum Leges Reipubl. ſint accommodandæ, non

Quæritur, an Lex injuſta verè lex ſit?

Res-

Reſpublica Legibus. Cum jam ſubditi plus debeant Reip. quam Imperantibus, ſi imperantes injuſtam ſancirent legem, in illo caſu vinculum parendi ſolveretur. 2. quia talis Lex injuſta jus non facit: hoc enim ſi faceret, injuſta non eſſet. 3. quoniam finis Legis tali injuſtâ lege non obtinetur: quomodo enim juſtitiam adminiſtrare dicetur judex, qui iſtam Legem accommodare voluerit. 4. quia ratio eſt anima Legis, quâ abſente, Lex cadaver erit, 5. Lex injuſta dicitur talis, vel quod ſit contra jus Civile, vel quod ſit contra Naturale. Si primum dicatur, abſurdum eſt, Legem illam dici injuſtam, cum jus civile eô ipſo, dum contra ipſum aliud jus ſtatuitur, jus eſſe deſinat. Si poſterius, Lex illa ne Lex quidem dici poteſt, utpote quod eſt ius immutabile, nec ſubjacet poteſtati Legislatoriæ §. 11. *Inſt. de Jur. N. G. & C.* ſed potius ipſum ſupra Legislatorem. *Vid. Meiſn. in Diſſ. p. 2. c. 1. n. 30.*

54. Nos bonitatem de eſſentiâ Legis eſſe, nobis non perſuademus: nam cuicunque competit definitio alicujus, illi etiam definitum. Atqui Legi injuſtæ competit definitio Legis in genere. Ergô etiam Lex injuſta Lex erit in genere. Definivimus autem *ſupra* §. 10. Legem hoc modo, Lex eſt decretum ſummæ poteſtatis, actionibus humanis regulam, ad certum aliquod ipſas *Bonitas non eſt de natura Legis.*

obligantem, præſcribens: quæ omnia in Lege injuſta locum habere poſſunt, v. g. ſit præſcripta lex, ut nemo vendat frumentum, niſi modius veniat 10. imperialibus: & hoc citra neceſſitatem, non urgente annonâ: ſanè Lex hæc injuſta eſſet; nec tamen nomine Legis defraudari poſſet. Sic, ponatur Lex, ut creditor conveniat fidejubentem, licet principalis debitor ſit ſolvendo: videtur Lex injuſta, cum fidejuſſor creditori fidem ſuam obſtringat in ſubſidium, ſi ſcilicet principalis ſolvendo non fieret: & tamen vera Lex eſt, cum alicubi contingat, ſi creditor principalem debitorem compellat, fidejuſſor eô ipô liberetur obligatione; ex quô apparet, etiam talem Legem effectu ſuô non carere, & per conſequens Legem injuſtam adhuc Legem eſſe. Huc referri poteſt Lex à Nebucadnezare lata, de adoratione Idoli, *Daniel c.* 3. *v.* 4. 5. 6. Unde ſtatim reſpondemus ad rationem primam, quod ſcilicet falſum ſit, Legem injuſtam vim cogendi non habere.

Reſp. ad rationes contrarias I.

55. Hoc quidem verum eſt, Legē talem injuſtam, quæ aliquid præci peret contra Legem vel Naturalem, vel Moralem, carere vi obligandi, quia Lex inferioris contra ſuperiorem nunquam valet, cum inferior in ſuperiorem nullam habeat poteſtatem: deinde quia Lex inferioris ſemper accipitur

pitur cum exceptione Legis ſuperioris, ut ſe res etiam habet in juramentis. Lex autem aliqua in ſe poteſt eſſe injuſta, ut non impingat ſtatim in Jus Naturale aut Morale, ut ex exemplis allatis patet.

56. Ad alteram rationem reſpondeo, Legem injuſtam jus nullum facere, negando. Nam Ariſtoteles expreſſè docet, Omnem Rempublicam niti aliquô jure; unde aliquod jus eſt Oligarchicum, aliud Ariſtocraticum, aliud Democraticum. Jus Ariſtocraticum ſtrictiſſimè jus eſt: Oligarchicum verò quidem etiam jus eſt aliquod, licet non ſit jus abſolutè: Ita enim in terminis docet *Ariſtoteles* 3. *Pol. c.* 14. (*aliàs* 9.) Quare, *inquit*, in depravatis quidem rebuspublicis propriè quidem hoc eſſe utile & juſtum liquet: fortaſſè verò & hoc liquet, idem non eſſe abſolutè juſtum. II.

57. III. Quando dicitur, quod tali injuſtâ Lege finis, ſcilicet juſtitia, obtineri nequeat, quia judex applicando talem injuſtam legem, juſtitiam adminiſtrare dici non poſſet. ℞. Sicuti dicitur Prætor jus reddere, etiam cum iniquè decernit, *l.* XI. *ff. de Juſt. & Jur.* ita quoque Judex adminiſtrabit juſtitiam, dum Legem talem iniquam ſive injuſtam applicat, & ſecundum illam judicat: qui enim cum Lege errat, non peccat, *cauſ.* 23. *can.* 40. *q.* 4. nec pœnam meretur, quod III.

legitimè factum eſt *l.* 4. *C. Ad leg. Jul. de Adult.* qui enim mandato aliquid facit, habet parere neceſſe. *l.* 54. *de R. J. in* 6. Deinde finis Legis non ſolum eſt adminiſtratio juſtitiæ, ſed etiam executio voluntatis Principis.

IV. 58. Ad id verò, quod ratio Legis anima ſit, reſpondemus, ratio illa duplex eſt, vel enim eſt recta, & ſic Lex, quæ tali ratione nititur, non eſt iniqua aut injuſta, ſed bona; quæ verò nititur ratione non rectâ, ſed ſolâ voluntate, quæ ſæpè pro ratione ſtat, Lex quidem eſt, licet non ſit bona: non tamen caret ratione, nec proinde Legis cadaver dici poteſt. *Lex enim eſt, quia jubetur; quicquid vel eſſentiæ habet vel roboris, id omne à ſolo Majeſtatis juſſu & voluntate ſortita eſt.* Negandum igitur eſt, rationem eſſe Legis formam, ut rectiſſimè *Illuſtr. Dn. Conring. docet diſp. de LL.* § 31.

V. 59. Ad ultimum, quod Lex injuſta dicatur, vel quod ſit contra jus Civile, vel contra Naturale. ℞. Lex, quæ contra jus naturale aliquid præcipit, Lex non eſt, ſive effectu Legis omninò caret, h. e. non obligat nos, h. e. non habet vim aliquam cogendi, ex illâ ratione, quam ſuprà adduximus, quod inferior Legem ſuperioris neque tollere, neque mutare authoritativè poſſit. Item Lex, quæ contra naturam eſt aut

contra

contra Legem Divinam, nos non obligat, non quidem non quoad culpam, ſed etiam non quoad pœnam, ſi obſequium ei detrectatur: nam ejusmodi obſequii denegatio non eſt culpa. Et ſi de facto propter denegatum obſequium ab eo, qui Legem contra naturam dedit, aliquis malè tractatur, pœna tamen non eſt, ſed afflictio aliqua, aut perſecutio, quam propter meritū quis ſuſtinet, & ſuſtinere malit, quam naturalem aut divinam legem violare. Illa verò Lex, quæ eſt contra jus Civile, ſi eſt lata ab eô, qui poteſtatem legis ferendi habet, ceſſat quidem jus civile, nihilominus tamen Lex illa poteſt eſſe injuſta, non quidem ratione cauſæ efficientis, benè tamen ratione cauſæ materialis: v. g. ſi Lex eſſet poſita, ut ſi Nobilis aliquem occidiſſet, quod Nobilis ultra Imperialem thalerum puniri non deberet: ſi verò plebejus alium plebejum itidē interficeret, quod tum talis non ſolum iterum interfici, ſed etiam omnia ejus bona fiſco cedere, & tota ejus familia in ſervitutem redigi deberet. Lex quidem eſſet injuſta, ratione materiæ, eò quod pœna culpam excederet; Lex tamen eſſet, quod lata eſſet ab eo, qui poteſtatem ferendi legem haberet. *Vid. Arniſæus in Doctr. Pol. l. 1. c. 27, Cellar. l. 2. Pol. Suc. c. 8. n. 26. Vid. Arriaga Tom. 2. in 1. 2. Thomæ tr. de Leg. diſp. 4. Hornej. in Doctr. Civ. l. 4. cap. 3.*

cap. 3. pag. 579. Dn. Doct. Dannhawer in Paradoxis Ciceronianis. pag. mihi 53.

60. Dictum fuit ſupra, §. 44. & 46, Conſuetudinem conſtituere etiam aliquando legem, aut legis loco haberi. Cum autem talis Conſuetudo etiam poſſit eſſe duplex, quædam *bona*, quædam *mala*: quædam *rationabilis*, quædam *irrationabilis*: Si itaque Irrationabilis in aliqua Republica, prolapſa licet, vim legis obtinet, quomodo de legis eſſentia erit Bonitas? *Dicis*: Irrationabilem Conſuetudinem inſtar legis non habendã, cum nihil ſit aliud quam vetuſtas erroris; item pravam conſuetudinem litium genitricem eſſe, indeque à Superioribus tollendam, eò, quod conſuetudinibus iniquis mala fovenda non ſint. *Reſpondet* tamen *Bald. in l. 32. de LL.* etiam irrationabilem conſuetudinem valere *per l. 10. de LL. & l. 12. qui & a quibus manumitt.* Verùm hâc limitatione; prout reſtringit *Sobrad. p. 10. ſect 9. n. 241. & Cravett. Conſ. 21. n. 12.* ſi ſit immemorialis. Talis injuſta conſuetudo eſt illa maritima, quæ ex naufragio afflictorum bona rapit, quia lites movet ei, cui Deus ipſe lites movit maritimas. Talis apud Weſtphal. & Livon. recepta, ut Sagarum probatio per aquam frigidam concedatur. *Vid Clariſſ. Dn. D.* Hahn *in not. ad Weſ. p. 1. p. m. 85. Winth. in Parthen. Litig. l. 1. c. 13.*

Conſuetudo eſt vel Bona, vel Mala:

quædam Rationabilis, quædam Irrationabilis.

61. Actum

61. Actum hactenus fuit de Legum Definitione & Diviſione: Jam acturi ſumus de legum *Objecto, ſive Materia: de Obligatione*, & tandem de Legum Interpretatione.

62. Ut autem diſtinctè procedamus, conſiderabimus objectum 1. Legis *Naturalis*: quod eſt in genere, *omne per ſe honeſtum, & recta rationi ſive natura rationali conveniens* quoad proſecutionem: quoad fugam autem *omne per ſe & intrinſecè malum & recta rationi diſconveniens.* Honeſtum & naturæ rationali congruum ex hac lege ita ſe habet, ut, neceſſariò ſit faciendum, ita ut negligere deforme & naturæ noſtræ repugnans ſit: adeò, ut, quando illud omittimus, peccatum *omiſſionis* committamus. Malum autem & rectæ rationi diſconveniens, ita ſe habet, ut illud neceſſariò vitare debeamus, ita ut illud facere, ſit peccatum *commiſſionis.*

Legis Naturalis Objectum, per ſe eſt Omne honeſtum proſequendum.

Malum fugiendũ.

63. *Gregorius de Valentia diſput.* 7. *q.* 4. *punct.* 4. *in* 1. 2. *Thom.* hoc objectum ita explicat: Præcepta legis naturæ Negativa (i. e. quæ vetant aliquid) in omni actione prava, quæ alicui virtuti contraria eſt, verſantur. Affirmativa verò, quæ abſolutè jubent aliquid facere, *omnium* quidem *virtutum actiones* præcipiunt, tanquam neceſſariò aliquando exercendas, non tamen *omnes actiones virtutum.* Probat hoc, quia certum eſt,

inquit, multas actiones ſuſcipi ſecundum virtutem ultro, absque ulla obligatione: ut vovere perpetuam virginitatem, item ea, quæ ſunt virtutis Heroicæ: quasdam item actiones virtutum ſuſcipi ex præcepto quidem, ſed humano duntaxat, non autem naturali. Hinc licet aliquæ actiones omnium virtutum ſint aliquo modo ex naturali præcepto neceſſariæ, non tamen omnes. *Vid. Arriaga in tract. de Leg. diſput. 7. ſect. 2. n. 8. & 9. Hornejus in Dr. Civil. l. 4. cap. 3. n. 28. 30. Carbo pag. 193.*

64. Ex quibus conſtat, ea, quæ indifferentia ſunt, h. e. quæ per ſe & intrinſecè neque bona, neque mala ſunt, ad hujus legis objectum referri non debere: quia quæ juris naturæ ſunt, ſunt per ſe & intrinſecè bona, ita ut ſine peccato omitti non poſſint. Quare diſtinguenda hic ſunt ea, quæ ſunt *Inſtinctus Naturalis*, ab iis, quæ ſunt *Juris*, ſive *Legis Naturalis*. Niſi *impropriè* loquendo ea velis confundere cum Ulpiano *l. 1. ff. de J. & J. Vid. Dn. D. Calixt. in Theol. Mor. p. m. 48. Hornej. in Doct. Civ. l. 4. c. 3. n. 23. p. m. 589. & ſeqq.*) qui inter actus juris naturalis refert *Maris & Feminæ conjunctionem*, itidemque *ſobolis procreationem*: qui tamen actus, quatenus tales, & in genere naturæ conſiderati nullam in ſe habent moralitatem. *Vid. Schlevogt. in Diſp. de Cauſa Morali, §. 27. Addatur Dn. Fran-*

Indifferentia non ſunt objectum Legis Naturæ.

Dn. Franzkius Exercit. 1. *q.* 3. *Mynſing. l.* 1. *Inſt. de* J. N. G. *&* C.

65. *Juris Gentium* verò *objectum*, ita in genere vix deſcribi poterit, niſi dixeris, ſolùm illud eſſe, quod *uſum*, & *neceſſitatem humanam concernit*: in particulari forſan dici poſſit, eſſe Gentium diſcretionem, i. e. diſperſionem nationum in varias provincias: regna condita, i. e. creationes regum & principum, jura magiſtratuum, jurisdictiones: dominia diſtincta, h. e. diviſionem rerum, agrorum terminos, h. e. poſſeſſionum diſtinctionē: ædificia collata: i. e. urbes conditas, & ædificia, in quibus homines congregarentur: cōmercia, ſive permutationes rerum & contractus. Item bella, captivitates, ſervitutes, &c. quæ tamen omnia dubia redduntur, & impugnantur ab *Arriaga tract. de Leg. Diſp.* 7. *ſect.* 8. *ſubſect.* 1. 2. *&* 3. *Vid. Hahn. ad Weſenb. part.* 1. *pag. mihi* 47. Ubi præterea ſciendum, quamvis illa, quæ juris Gentium ſunt, per neceſſariam conſequentiam ex principiis juris naturæ non deducantur, nec ipſi rationi naturali ſimpliciter repugnet, aliud quid obtinere: ratio tamen humana vi naturalis diſcurſus, iſta ita determinanda cuilibet homini, ratione ſua rectè utenti, & communem utilitatem atq; neceſſitatem reſpicienti, dictitat. Quibus rectè obſervatis, aliquo modo ad rationes

Objectum Juris Gentium.

Arriaga l. c. reſponderi poterit. *Vid. Struv. in Syntagm.* Jur. *Exerc.* 1. *th.* 52. *& ſeqq. p.* 26. *& ſeqq. Carbo l.* 5. *diſp.* 10. *tr. de Leg. p.* 202.

Objectum Legis Civilis, per ſe ſunt res indifferentes.

66. *Objectum* Legis *Civilis* in genere, ſunt *Res Indifferentes*, quæ bonitatem aut malitiam recipiunt ex voluntate ſuperioris, non verò habent intrinſecè; id quod probatur ex 5. *Eth. c.* 10. ubi Philoſophus expreſſè docet: *Legem propriam eſſe eam, quæ tale quid præcipit, quod ab initio, utrum hoc vel illo modo fieret, nihil referebat.* Dum enim aliqua liberè determinari, juberi & vetari, puniri & impunè fieri, hâc & aliâ pœnâ emendari permittuntur, indifferenter ſe ad oppoſita habent.

67. *Dicis*: Res indifferentes Objecti Legis Civilis naturam non exhaurire, ſivè objectum adæquatum eſſe, cum ea præcipiat quoque talia, quæ neceſſaria ſunt & in ſe nullam habent indifferentiam: puta, furtum puniendum eſſe: qua de cauſa *Inſtit. de obligat. quæ ex delict. naſcuntur* §. 1. dicitur, quod furtum lege naturali prohibitum ſit. Et *l.* 42. *ff. de V. S.* dicitur, furtum & adulterium natura turpe eſt. Cum itaque leges civiles diſponant de furto & adulterio, quomodo poteſt dici, quod Legis civilis objectum ſit res indifferens. 2. Cum in jure civili præcipiantur Virtutum actus, & prohibeantur vitiorum actiones: Virtus autem & vitia nullatenus poſſunt inter indifferentia referri: quo-

quomodo verum eſt, res indifferentes Legis Civilis objectum conſtituere: quod autem Virtutes & vitia præcipiat & prohibeat Jus Civile: patet inde, quod ſecundum multos JCtos, Juſtitia, quæ definitur conſtans & perpetua voluntas, &c. debeat intelligi *Univerſalis*, non particularis.

68. Ad 1. ut reſpondeamus, diſtinguendum eſt, inter *Objectum per Se*, & *per Accidens*. Id quod neceſſarium eſt, non eſt objectum per ſe, ſed per accidens, puta *ratione alicujus circumſtantiæ*, juxta quam induit naturam indifferentis, v. g. furtum eſſe puniendum eſt neceſſarium & juris naturæ: eſſe autem puniendum ſuſpendio aut gladio, indifferens eſt, & juris Civilis. *Vid. Dn. D. Ludwell. in Comment. ad Inſtit. pag.* 474. Deinde & hoc notandum, quod quidem Jus Civile, quod à Magiſtratu Civili dependet, urgere poſſit & debeat ea, quæ Juris Naturæ ſunt, & neceſſitatis Naturalis Legis, ut quemadmodum natura juſſit aut vetuit, ſic agantur aut fugiantur: præſertim cum multi hominum adeò obſtinati ſint, ut quæ naturæ debent, non niſi coacti faciant: per illam tamen, vel repetitionem vel juſſionem Juris Civilis objectum non fiunt.

Per accidens, etiã res non indifferentes.

Quæ Iuris Naturæ ſunt, à Lege Civili repeti poſſunt.

69. Præterea, in quovis actu duo ſunt obſervanda: 1. *Subſtantia actus*: 2. *Circumſtantiæ*. Subſtantia actus, & quidem quoad genus

In omni Actu, conſiderari poteſt, 1. Subſtantia Actus. 2 Circumſtãtia

genus poteſt eſſe neceſſaria, & tamen quoad ſpeciem indifferens: v.g. pœna furti eſt neceſſaria, quoad genus, quoad ſpeciem tamen nimirum pœna ſuſpendii indifferens eſt. Alius actus quoad ſubſtantiam eſt ſimpliciter neceſſarius, tum quoad genus, tum quoad ſpeciem, quoad circumſtantias tamen poteſt fieri indifferens. v. g. Deum colere, quoad genus & ſpeciem ratione ſubſtantiæ actûs neceſſaria eſt, ratione tamen loci & temporis, ſive circumſtantiarum eſt indifferens, ut patet *ex* Joh. 4. 20. *& ſeqq.*

Actus neceſſarii quoad genus & ſpeciem, Legi Civili non ſubjacent.

70. Actus neceſſarii quoad genus & ſpeciem, Legi Civili non ſubjacent: cæteri verò actus in tantum, in quantum indifferentiam recipiunt, ad Legem Civilem rectè referri poſſunt. Innunt hoc, uti credo, illi, qui Legem aliquam dicunt eſſe *Mixtam*, ſive, ut ait *Cellarius c. 8. l. 2. Pol.* §. 17. legem aliquam eſſe Naturalem ſeu communem, & propriam, ſeu Civilem *ſimul*. Et ſi licet referri huc poterit illud, quod dicit *Ulpianus l. 6. ff. de Iuſt. &* Jur. Jus Civile eſt, *quod neq; in totum à naturali vel gentium recedit, nec per omnia ei ſervit*: itaque cum aliquid addimus, vel detrahimus juri communi; jus proprium; i. e. civile, efficimus. Et hoc pluribus explicatum vide, *Exercit.* 1. §. 58. *& ſeqq. in Syntagmat.* Jur. *Dn. Struvii.*

71. Ad

71. Ad 2. reſpondeo: Ariſtotelem quidem 5. *Eth. c. 5.* (*aliàs* 2.) affirmare, Legem ſecundum unamquamque virtutem vivere jubere, ſecundum unumquodq; vitium, prohibere: effectricia autẽ totius virtutis ea ſunt legitima, quæ Legibus ad publicã inſtitutionem ſancita ſunt. Sic *cap.* 1. (*aliàs* 3.) *l. c. ait.* Leges de omnibus præſcribunt. *Quin etiam lex præcipit & id, quod fortis viri opus eſt, ut non deſerere ordines, non fugere, non abjicere arma: & id quod eſt temperantis, ut non committere adulterium, non contumelioſè ſe gerere, & id, quod eſt manſueti, ut non verberare, non maledicere: ſimili modo quoq; ſecundum alias virtutes & vitia alia jubet, alia prohibet.* Quibus verbis Philoſophus Legi Civili adjudicat ea, quæ nequaquam indifferentia ſunt. Verum illa Ariſtotelis verba non ſunt accipienda de *Lege Civili, ſtrictè dicta*, quatenus Lex Civilis opponitur Legi Naturali & Gentium, ſed in lata ſignificatione, quatenus omne illud dicitur Civile, quicquid civibus inter ſe commune. 5. *Eth. c.* 10. quod etiam includit ea, quæ juris naturæ ſunt. Unde Jus Civile, *l. jam. c.* dividit in *Naturale* & *Legitimum*, adeoque Jus Civile aliquando ita latè accipietur, ut ſub ſe quoque complectatur, quæ Naturalis juris ſunt. Et ita hîc Civile accipiendum eſſe, colligi quoque poterit ex verbis. 5. *Eth. c.* 1. (*aliàs* 3.) qnando dicit, jura legitima, ſeu legibus comprehenſa,

Quomodo Iuſtitia Univerſalis pertineat ad Legẽ Civilem?

ſa, quæcunque felicitatem, ejusque partes in ſocietate Civili efficiunt & conſervant: inter quæ profecto ea, quæ juris naturæ ſunt, comprehendi, nemo ſanus facilè negaverit. *Vid. Horneius in Doctr. Civil. l. 4. c. 3. pag. 603.*

72. Quod verò attinet, quod in corpore Civili legibus etiam civilibus præcipiantur actus virtutum, & prohibeantur vitiorum, adeoque Juſtitiam univerſalem Juris Civilis finem, vel etiam objectum eſſe: Sciendum, quod JCti, quando verſantur circa leges proprie dictas Civiles, nihil præcipiant de virtutibus & vitiis, *ut ſunt JCti, ſed quatenus ſunt Ethici aut Politici,* ad quam Ethicam Juſtitia univerſalis rectè refertur. In unum autem ſubjectum, puta in JCtum, plures habitus cadere poſſe aut debere, nemo noſtrû negat. Deinde, in Corpore Civili non ſolùm continentur leges civiles ſtrictè dictæ, ſed etiam multa alia, quæ ad Ethicam, Politicam, vel aliam etiam diſciplinam ſpectant, quæ proinde non ſtatim Juris Civilis ſtrictiſſimè dicti naturam induunt: adeoque ex hac ratione nondum convincitur, Juſtitiam Univerſalem Jus Civile ſtrictè dictum, vel objecto, vel pro fine habere.

Actus Virtutis poſſunt Conſiderari dupliciter.

73. Actus Virtutis inſuper poteſt conſiderari dupliciter, Vel in *Univerſali* 2. vel in *Particulari*. Si in univerſali conſideratur, circa illum Lex Civilis occupata non eſt, ita enim

enim nihil indifferentiæ habet: ſecus autem eſt in actu virtutis particulari: qui eſt, quem quisque pro re natâ exercet, ad particulares materiæ & circumſtantiarum differentias contractum: quæ circumſtantiæ, cum plurimum varient, quia medium quoad nos, in quo ratio virtutis conſiſtit, multum variat, cur non lege civili determinari poſſint, non video, maximè, quia, ut teſtatur *Philoſoph. l.* 10. *Ethic. c. ult.* plerique neceſſitati potiùs, quàm rationi, & mulctis, quàm honeſtati, obediunt. Neminem latet, *ſunt verba Excell. Dn. Petri Muſæi*, quanta ſit hominum rectâ ratione utentium infrequentia, & quàm ingens eorum copia, qui adfectuum impetu potius, quàm amore honeſtatis ducantur: quin & corrupto pravis moribus judicio, ne quidem rectè inter honeſta & turpia diſcernere valeant, nec niſi lege coacti ad ea, quæ virtutis ſunt, animum adjungant.

74. Verum hoc modo Leges ſolum inſtar rectæ rationis ſunt, & ejus quaſi vicaria, nihil enim quicquam ei derogant, multo minus aliquid, quod naturâ jubente neceſſarium eſt, pro ſuo venditant. Ut plurimum enim ea, quæ natura juſſit, præfractariorum gratia repetunt, ita tamen, ut quasdam differentias prorſus arbitrarias addant, aut ſaltem præmia, quæ & ipſa arbitratui humano commiſit natura, obſequentibus proponat. Eadem

Lex Civilis, Legis Naturæ poteſt eſſe vicaria.

dem

dem quoque ratio eſt *in pœnis*, reſpectu inobedientium. Etenim Magiſtratui Civili natura reliquit modum transgredientes legem naturæ puniendi: qui utique quoad ſpeciem meritò indifferens habetur. Imò non ſolum hoc obtinet in pœnis & malis, ſed etiam quoad certas circumſtantias in actibus virtutis: Lex Civilis aliquem, actũ aliàs in ſe honeſtum, & in genere neceſſarium, vetare poteſt, ut per talem prohibitionem nihilominus neq; rectæ rationi, neque naturæ aliquid derogetur. v. g. hoſte civitatem invadente prohibere milites vacare orationi in templo: aut quis ignorat, actum Liberalitatis eſſe juris naturæ, & honeſtum: & tamen à Magiſtratu Civili in ſpeciali caſu, quo minus eo modo exerceatur, prohiberi poteſt: Exemplum videatur *in noſtra diſſert. Polit. de Bonis Eccleſiaſticis*. §. 42. 43.

75. Unum adhuc notandum hic eſt, nimirum quædam in indifferentium numero haberi ab hominibus, quæ tamen in ſe nequaquam talia ſunt, v. g. multa turpia ſunt, quę tamen homines in turpibus non habent. imprimis, ſi mali ſint. & explendis animi libidinibus dediti. Quot enim hodiè reperiuntur homines, qui pejerare, maledicere & ſimilia non pro turpi habent? quot ſunt, qui mentiri, etiam in judicio pro prudentia æſtimant? quot ſunt, qui cum illo Terentii non

pro

pro vitio habent ſcortari: *vid. Actor. c.15.* jungantur hic ea, quæ à nobis dicta & allegata ſunt *ſupra* §. 25. Et hæc iterum duplicia ſunt, quædam enim ex his ita ſe habent, ut ex terminis, aut per neceſſariam & evidentem conſequentiam turpia eſſe omnes, quorum ſana eſt ratio, naturali lumine cognoſcant, qualia ſunt, quæ ipſo nomine pravitatem includunt, prout illa à Philoſopho 2. *Eth. c.6. verſ. Nonnulli enim ſunt affectus, &c.* recenſentur: & hæc, licet à lege civili repetantur, objectum tamen ejus per ſe non fiunt, ſed manet Legis objectum Naturæ. Quædam autem ita ſe habent, ut non cuivis evidenter appareant, & quidem pro diverſis circumſtantiis, ſintne turpia, an honeſta, bona an mala: quæ, quoad hoc, quo minus fieri poſſint objectum legis humanæ Civilis, dubitandum non eſt, v. g. an principi vi reſiſtendum, ſi me injuſtè perſequatur? De tota hac objecti legis civilis materia, prolixè diſputantem *vide Arriagam tract. de Leg. diſp. 4. ſect. 1. ſubſect. 1. 2. & 3. item diſp. 14. ſect. 1. & 2. Carbonem tr. de Leg. l. 6. diſp. 5. 6. 7. & 8.*

Intrinſecè honeſta & turpia, ſi in Lege Civili repetantur prohibendo, non fiūt Legis Civilis objectū.

76. Objecto ita conſiderato, videamus jam *Legis virtutes*, quas alias vocant *effectus*, ſive *actus legis*, (*Carbo, pag. 137.*) & afferuntur à *Modeſt. l. 7. ff. de LL.* quatuor: nimirum *imperare, vetare, permittere, punire*. Alii addunt adhuc duas alias, nimirum *præmiari*, &

Virtutes Legis quatuor.

conſulere. Non quod quælibet lex ſemper iſta, & quidem conjunctim præſtare debeat; ſed quod quælibet iſtarum aliquam complectatur: qua de re videatur *Greg. de Valentia, diſp. 7. de Leg. q. 2. punct. 2. Arriag. diſp. 5. ſ. 1. ſubſect. 4. n. 15. Dicis*, virtutes hæ, ſive effectus concepti ſunt, & dicuntur de Lege ſolum Civili; cur itaque hic adferuntur, quaſi effectus Legis in genere? Nam quamvis verum ſit, imprimis hæc de propriè dicta & humana dici, accommodari tamen poſſe ſuo modo ad omnes leges, permiſſione ſolum excepta: ut iterum docet *Valentia l. c. Carbo, pag.* 138.

1. Iubere. 77. *Prima* itaque virtus *Legis* eſt, *Imperare*: imperat autem Lex, cum jubet, ac præcipit affirmando; Et hic imperare, nihil aliud videtur eſſe, quam *cum effectu jubere*, & legi per ſe mutæ ac mortuæ vitam addere, quam conſequitur à majeſtate, quæ Lex in terris animata ac viva, *Nov. 105. cap. f.* quæ eandem quoq; fortiter tueri poteſt, ne idem ipſi contingat, quod telis aranearum, quas, quæ fortiores ſunt, muſcæ diſrumpunt; prout Zaleucus Locrenſium Legiſlator quondam de legibus per ſimilitudinem dixit, *referente Stobæo.* Altera Virtus eſt. *Vetare.* *2. Vetare.* Vetat autem lex, cum prohibet: Unde à Dd. dicitur, quod Lex per negativam regulariter prohibeat. Vel duos hos actus alii ita diſtin-

diſtinguunt, ut primus dicatur eſſe bonorum, alter verò malorum.

78. *Arriaga, diſp. 5. de Leg. ſect. 1. ſubſ. 3. dicit*; τὸ præcipere (ſive imperare) non bene poni ut effectus legis, cum potius ſit ipſa eſſentia illius. Et quidem, inquit, ipſemet P. Suarez definit legem, eſſe commune præceptum, juſtum &c. quomodo ergo ipſam partem eſſentialem definitionis ponit ut effectum illius? Eſtne effectus hominis animalitas & rationalitas: Iis ergo, pergit, relictis dico, legem dividi in præcipientem & prohibentem: ubi non accipio τὸ præcipere, univerſaliter: in hoc enim ſenſu dixi immediatè antè eſſe definitionem legis in communi: accipitur ergò pro præcepto mandante aliquid fieri; & ut ſic condiſtinguitur ab altera lege, quæ prohibet actionem aliquam poſitivam, v. g. ne fureris. *Hæc Arriaga.*

79. Tertia Virtus Legis dicitur, *Permiſſio*, ſive *permittere*. Ubi ſtatim in principio notandum, in rigoroſa ac ſtricta ſignificatione, legem permittentem *propriè* legem non eſſe, & quidem reſpectu perſonæ, cui aliquid permittitur; nam hujus reſpectu, nullam inducit obligationem, & cum Legis propriè dictæ ratio & natura ſit, afferre aliquam neceſſitatem, ſed reſpectu illorum, qui alioquin potuiſſent, aut fortè debuiſſent id impedire. Unde *Grotius l. 1. de Jur. Bell. &* *3. Permittere.*

Pac. c. 1. *n.* 9. *ait*: Permiſſio propriè non eſt actio legis, ſed actionis negatio, niſi quatenus alium ab eo, cui permittitur, obliget, ne impedimentum ponat. *Jacobus* tamen *Brandmüller in diſp. de Leg. th.* 31. contra hæc proponit: An nō ſit actio legis in eo agendo, quod agere permiſſum, adverſus eum, qui permiſſionis gratiam offendit, ac eſt in reliquis virtutibus, cum non legum cauſam, ſed jam probatam juſtam voluntatem amplectamur, legentis permitto arbitrio. Adſtipulatur autem Grotio *Arriaga l. c.* Permiſſio, quatenus nec prohibet, nec præcipit actum, propriè lex non eſt, ſed potius carentia legis: Unde ut ad legem reducatur, debet eſſe poſitivum aliquod mandatum ſaltem impediens, ne ob eam actionem homines puniantur. Aliàs lex vocari non debet, cum nullam inducat obligationem. Aut ſi velis dicere propriè legem, non rectè vocabis *permiſſivam*, ſed *prohibitivam*, qui alios obligat, ne agentem vel impediant, vel offendant. Jungatur *Valentia, l. c. pag.* 871. *Dn. D. Hahn. part.* 1. *in Weſenb. pag. mihi* 72. *Meiſnerus in diſſertat. de Leg. pag. mihi* 80. *Carbo, tract. de Leg. pag.* 139. *Petrus Muſæus in diſp. de Leg. Civil.* 1. §. 15.

Permiſſio quid.

Permiſſio Dei quid? 80. Cave autem, Permiſſionem hic accipias tam latè, ut etiam complectatur Permiſſionem DEI, in committendis peccatis,

qua-

quatenus dicitur, peccata fieri DEO permittente, non volente. Siquidem hæc legis naturæ permiſſio, prohibet pœnâ affici eum, qui actum perpetrat ipſi permiſſum. Verum DEI permiſſio, pœnam non tollit, ſed manet talis peccator reus & pœnę æternæ & civilis, niſi fides interveniat.

81. Ultima Virtus Legis dicitur eſſe *Punitio ſive punire.* Sed neque hic effectus primario ad Legem pertinet, quia non ſequitur immediatè ex lege, ſed ex delicto, quod lex vetat. Jam verò non omnis Lex vetat. E. nec effectus legis per ſe eſt punire: ſed legi competit ſolum ſecundariò. Ex hactenus dictis apparet, Legis virtutes ſive effectus duos eſſe præcipuos & primarios, nimirum *Imperare* & *Vetare.* *4. Punire.*

82. Peculiares verò ab adductis Legis effectibus non agnoſcimus *Præmia*, cum *Bachov. diſp. 1. th. 3. volum 1. ad Treutl.* quamvis rationes ejus omnes non omne ferant punctum. Nam 1. quod *ſub contrario contineatur*, nihil videtur evincere: ſiquidem qui non punit, non è veſtigio præmium confert. Deinde præmia ſunt ejus, qui ultra debitum boni quid agit; non qui, quod agit, agere tenetur. Proponi tamen præmia poſſunt ab iis, qui ſuadent aliquid, aut diſſuadent: non neceſſariò qui cogere poſſunt. 2. *Pœnas inferre ſola* lex, præmio *Præmia Legis peculiaris virtus non eſt*

 afficere

afficere magiſtratus, quin & privatus poteſt. R. Præmia hac ratione legi non adimi, ſed ſolum oſtenditur, etiam aliis hanc virtutem eſſe communem, ut ita non propria legi, non tamen de lege impropriè dicatur. 3. Quia non eſt neceſſitas eadem præmiorum, quæ pœnarum. Hoc quidem verum eſt, nam quem præmia ſolum faciunt bonum, potius callidus eſt, quam bonus, uti refert ex *Platone Cic.* 1. *offic.* ac exterius agendo in ſuo delinquere pergit animo; interim tamen legibus etiam bonis præmia deſtinari poſſunt. *Vid. Carbo, p.* 137.

Vti nec conſilium. 83. *Conſilium* verò ut legi effectus tribui nequaquam poteſt, quia non valent ex ſe, ſed ex approbatione ea rogantium. Unde etiam dicitur, conſilium neminem obligat, niſi ſit fraudulentum, *l.* 1. §. 6. *ff. mandati*, etenim liberum eſt cuique, apud ſe explorare, an expediat ſibi conſilium. Et *l.* 47. *ff. de R. I.* dicitur: Conſilii non fraudulenti nulla obligatio eſt. Eſtque conſilium poſitum extra neceſſitatem parendi. *Vid. ſupra* §. *X. I.* Cum itaq; conſilium ſolum ſuadeat, nemo illud propriè legem dixerit.

Effectus Legis. 84. Fuerunt hactenus Legis virtutes ſive actus, quos alii vocarunt effectus, nonnulli differentias ſpecificas. Supereſt adhuc verus (non obſtante eo, quod in contrarium adfert *Arriaga, l. c. pag.* 41.) effectus Legis, isque

isque generalis, nimirum *Obligatio*, quam ſupra §. 7. definivimus, quod ſit *neceſſitas quædam moralis, hominibus Majeſtati ſubditis incumbens ad agendum id, quod lex præſcripta jubet; & omittendum quod illa vetat.* Hâc neceſſitate morali adſtringitur creatura ratione utens, ut homo, ad agendum aliquid vel omittendum, culpæ & pœnæ vitandæ gratiâ. Ex quo patet, hanc neceſſitatem, *libertatem Phyſicam non tollere*, ſed illam potius ſupponere. Et hæc moralis neceſſitas ſi phyſicè conſideratur, non alia eſt neceſſitas, quàm illa, quæ metaphyſice dicitur *ex hypotheſi*, quia illa ex ſuppoſitione finis oritur.

Obligatio.

Obligatio Legis, libertatem Phyſicam non tollit.

85. Poſitô enim, quod culpam admittere & pœnam quis incurrere nolit, neceſſitas præſcriptæ legis ſervandæ ei incumbit. Quid? ipſa quoque hypotheſis eſt moraliter neceſſaria: quilibet enim quantum in ſe eſt, velle debet abſtinere à peccato. Neque rectæ rationi eſt conveniens, ut quis illud ſibi eligat, ob quod pœnam ſe mereri nôrit, utpote quam averſatur natura. Qui igitur hoſce, tanquam fines ſibi propoſuit, ut culpam caveat, nec pœnæ obnoxius fiat, is cum ſciat, absque peccato & impunè leges non licere transgredi, neceſſitatē earum ſervandarum ſibi indubiè perſuadet, uti rectiſſimè docet *Meiſn. in diſſ. de LL. p. 79.*

Obligatio eſt duplex

86. Eſt autem *Obligatio duplex*, una *ad Culpam*, quæ etiam vocatur *Obligatio, quoad conſcientiam*, quæ alio nomine vocatur *Vis directiva*, altera *ad Pœnam* ſive vis *coactiva*, quâ ſi leges carent, nihil erunt aliud, quàm campanæ ſine piſtillo: *vid. Valent. Wintb. in Parth. Litigioſ. l. 2. c. 13. n. 31. Item noſtra diſputatio de Arcan. Ariſtocratiam conſervantibus. §. 8. & 9.* Prior obligatio, ratione Legis naturæ, communis eſt omni creaturæ rationali: *vid. §. 24. ſup.* ita ut nemo ab ea eximi poſſit, etiam per potentiam Dei: *vid. Meiſner. diſſert. de Leg. pag. 209. & ſeqq.* quod poſteriorem attinet, etiam illa quidem omnem reſpicit hominem, non tamen ita, ut pœnam illa ab homine, ſed à ſolo Deo, ſcelerum, etiam occcultorum, vindice, delinquenti imponatur.

Obligatio Legis Naturæ, non dependet præcisè à Voluntate Dei, ſed ab Objecto.

87. Hæc obligatio autem, non præcisè dependet à voluntate divina, ſed *ab Objecto*: id quod probat *Arriaga l. c. pag. 60. n. 2.* hoc modo: quia, ſi per impoſſibile nullus eſſet Deus, nihilominus tamen operari contra dictamen illud, eſſet malum moraliter, quia multa objecta ſunt mala, ante prohibitionem Dei: imò ideo prohibentur neceſſariò, quia mala ſunt: non ideo mala ſunt, quia prohibentur. Hoc ut intelligatur, ſciendum eſt, legis naturalis obligationem poſſe duplicem conſtitui, unam *à priori*, alteram *à poſteriori*.

Obli-

Obligatio legis naturalis, quæ dependet à voluntate Dei, ſolum eſt à poſteriori; nam etiam Deus prohibet operari mala, nec vult mala, quia mala ſunt. A priori verò eſt illa, quæ eſt ab objecto: quæcunque enim ſub legem naturæ cadunt, illa non ideo vel bona vel mala ſunt, quia à Deo vel præcipiuntur, vel prohibentur, ſed ideò quia illa intrinſecè & per ſe bona; hæc verò intrinſecè & per ſe mala ſunt, ideò à Deo illa præcepta, hæc prohibita ſunt. *Vid. Tanner. Tom. 2. in Thom. 1. 2. diſp. 5. q. 11. dub. 4. Schlevogt. in diſp. de Peccato Morali ſect. 4. adſertion. 1. Becanus in Theolog. Scholaſt. de Lege Dei.*

88. Quoniam verò omnis lex obligat, ita tamen ut ſuperior ſemper prævaleat, h. e. ſi aut totæ ſibi invicem contrarientur, aut certo in caſu ſimul ſervari nequeant, tum obligatio legis inferioris à ſuperiori ſeu digniori lege impeditur: quo fundamento nititur illud *Petri, Actor.* 5, 30. Deo magis obediendum, quàm homini: quoniam, inquam, omnis lex obligat; & inter leges, à nobis, *ſupra* §. 38. etiam relata *lex Gentium* eſt: rectè hic *quæritur*, Quomodo illa, & quæ ejus ſit obligatio?

89. Prænotandum hic eſt, Jus Gentium non uno modo accipi, prout etiam indicavimus aliquo modo, *ſupra* §. 36. 37. accipitur enim aliquando prout æquivalet juri naturali *Obligatio Legis Gentium.*

naturali: aliquando quatenus diverſum jus ab illo conſtituit, & ab eo diſtinguitur: & hoc modo accipitur jus Gentium magis propriè, ſcilicet pro dictamine, quod ex altera ſaltem præmiſſa deducitur, non quidem evidenter nota, ſed usque adeô probabili, ut facilè omnes gentes in eam, adeoque in ipſius concluſionem conſenſerint. v. g. *legatos etiã ab hoſtibus miſſos, eſſe pacificè ſuſcipiendos*: concluſio eſt juris gentium hoc modo accepti, quoniam ſequitur ex una præmiſſa evidenter nota, ſcilicet ſervandum eſſe id, quod confert ad promovendum & tuendum bonum Reipublicæ ſtatum; & ex altera, non quidem evidenter nota, ſed valdè probabili, propter experientiam, & varias circumſtantias, quæ illius veritatem confirmant, ſcil. ad ſervandam rempublicam, eamque rectè & prudenter tuendam, conducibile eſſe, excipere pacificè quaſcunque legationes.

dependet à Voluntate Majeſtatis

90. Juxta hanc acceptionem, Jus Gentium propriè eſt quoddam humanum, & à naturali propriè diſtinguitur. Hinc, quoniam hæc Lex dependet à voluntate humana ſive Gentium, puto quoque ejus obligationem dependere non ſimpliciter ab objecto, ſed à *juſſu Majeſtatis*, quem ſequitur *acceptatio*, prout illud pluribus expoſuimus *ſupra* §. 38. Quod autem juri Gentium hoc modo ſua quoque competat obligatio, tum quoad obedi-

obedientiam, tum quoad pœnam, non ſolum inde patet, quod jus Gentium lex ſit, ſed etiam, quòd peccans contra jus Gentium teneatur ſubire pœnam reliquarum Gentium: v. g. ſi qui Legati violentur, violantem alter aggredi poteſt jure, bello, & ita ipſum coërcere ac punire, prout plurima probant exempla apud Hiſtoricos. *Vid. Grot. l. 2. de Jur. Bell. & Pac. c. 8. n. ult.*

91. *Dicis:* Jure Gentium nullam eſſe conſtitutam delinquentibus pœnam, quæ ex obligatione dependet. ℞. Lex habet duplicem vim obligandi, nimirum *Directivam*, quatenus imperat bonum fieri, & malum vitari: deinde *Coactivam*, per pœnas. Non quaſi omni legi neceſſariò determinatè pœna adjungenda, ſive ad rationem legis neceſſariò pertineat, ut aliqua pœna prævaricatoribus ſit conſtituta, ſed ſatis eſt, ut ab iis *pœna repeti poſſit.* Hinc cum poteſtate legis directiva eatenus ſemper conjuncta vis coërcitiva, quatenus prævaricator ſemper incurrit meritum pœnæ, quam legislator (qui hic, Gentes ſunt) ab ipſo repetere poſſit.

92. *Obligatio Legi Civili* competens, aliunde non eſt, quum à Civili poteſtate, quæ fundamentum eſt, & poſt tanquam à cauſa proxima, poteſtatis illius exercitio, Majeſtatis voluntate, ſive juſſu, quo ad modum imperii ſubditis manifeſtato, ex poteſtate *Legis Civilis Obligatio.*

ſtate civili, tanquam ex fundamento, actu vis obligandi conſurgit. *Excludimus* hinc, *populi acceptationem* neceſſariam eſſe, ut lex obligationem ſuam exerat, contra *Grat. can. 3. diſt.* 4. Nam in libera quidem republica, quod à Magiſtratu proponitur, lex non eſt, niſi populus id acceptet, atque ut ſingulos ſuæ univerſitatis obliget, velit, jubeat: Verùm illi populo, qui ſe ſubjecit alteri, & omne ſuum imperium, poteſtatemque à ſeſe in unum tranſtulit, quid præter parendi gloriam relictum ſit, ignoro: hoc ſcio, inane eſſe mandatum, quod exequi licet, & non exequi; cujusque adeò bonitas à judicio, vis à voluntate mandatarii dependet. *Vid. ſupra* §. 38. Excludimus etiam *Rationem*, quaſi ab illa obligatio dependeat: nam lex non debet diſputare, ſed jubere; undè rectè *Seneca inquit*: *Mone, dic quid velis feciſſe: non diſco, ſed pareo.* Etenim nimis delicata eſt obedientia, quæ tranſit in genus deliberativum, dicit eleganter *Sanderſon, in tract. de Obligat. Conſcient. pag.* 222.

93. *Dicis*: juſſus Majeſtatis, rationem obligationis legis abſolvere non poteſt, ſed ſuo modo quoque ab objecto dependet. Nam ſi id, quod Majeſtas vel præcipit, aut vetat, adverſatur legi naturæ, aut divinæ, nullam obtinebit obligationem, prout probavimus *ſupra*, §. 88. *ex cap. 5. Actor.* 2. Si

lex

lex jubet, quod honeſtum eſt, quilibet ſubditorum vel eo nomine ad eam ſervandam eſt obligatus, quod medium virtutis præſcribat, à quo recedere turpe ſit & nefas. Id quod fundamentum eſſe videtur illorum, qui dixerunt, nunquam parentibus eſſe parendum, ideò quia imperant: ita enim fuêre argumentati: *Aut rectè imperat pater, aut perperam: Si rectè imperat, non quia imperat, parendum, quoniam id fieri jus eſt, faciendum. Si perperam, nequaquam ſcilicet faciendum, quod fieri non oportet. Nunquam igitur patri parendum, quia imperat. Vid. Agellius l.2. Noct. Atticar. cap.* 7. Addatur *noſtra diſſert. Polit. de officiis liberor. erga Parentes, q.* 1. §. 2. *An Obligatio Legis Civilis non etiam dependeat ab Objecto?*

III. Obligationem dependere quoque ab objecto, non ſolum à juſſu Majeſtatis, probatur inde, quod *objecti gravitas* culpam aggravet, quam quis transgrediendo legem admittit: unde ſi quis magiſtratum verberet, gravius peccat, quam ſi aliquem ex plebe, *teſte Ariſtotele in Eth.*

94. Verum *reſpondemus*, & quidem *ad* 1. nobis ſermonem eſſe de obligatione legis Civilis, cujus objectum ſunt, res mediæ ſivè indifferentes, non illæ, quæ ſunt intrinſecè & per ſe vel bonæ, vel malæ: quando itaque lèx Civilis aliquid vult jubere aut prohibere de illis, quæ ſunt extra ejus objectum & forum, lex nulla eſt, & omninò nullam (niſi *Reſp. ad rationes affirmãtes. I.*

ſolum

ſolum repetat ea, quæ ſunt legis naturæ, ubi poſtmodum *duplex accedit obligatio*: non enim excludimus objectum bonum, ſed ſolum dicimus ad obligationem legis illud neceſſariò non requiri, indeque illam dependere) etiam conſequitur obligationem, quia jus naturale civilis ratio corrumpere non poteſt, §. 3. *Inſtit. de Legitim. Agnator. tutel.* Item, extra territorium jus dicenti impune non paretur. *l. ult. ff. de Jurisd.* quia extra ſui officii fines nihil aliud eſt, quàm perſona privata. *Vid. Perez. in Cod. de Leg. & Conſtit. Princip. n. 13. Item ſupra* §. 68.

II. 95. Ad II. *Reſpondeo*: Honeſtatem ſimpliciter ad obligationem legis civilis requiri, eſt quod negamus. Nam multa ſunt honeſta, quæ tamen per legem civilem facere non ſemper licet: & contra quædam licet per legem civilem licitè facere, quæ aliàs illicita ſunt. v. g. uti veſte ſerica, illicitum ex ſe non eſt, & tamen, quatenus uſui ejus interdicitur quibusdam à Magiſtratu, illicitum redditur. Item exercere liberalitatem ſummam in Eccleſiam, honeſtum quidem eſt, à Magiſtratu tamen civili interdici quoad certum modum, licitè poteſt. *vid. ſupra* §. 47. Ratio autem hujus rei eſt quod ea, quæ lege civili ſanciri debent, ita ſint honeſta, ut nec eorum oppoſitum ſuâ naturâ inhoneſtum eſſe, manifeſtò deprehendatur: & per

& per conſequens honeſtum illud in ſuo genere habeat aliquam indifferentiam, honeſtatemque ſuam obtineat ex eo, quod ita vel aliter videatur. Quod ſi verò illam honeſtatem velis dicere, rationem perſuadentem, multum non refragabimur.

96. Ad III. reſpondeo, in eo nullam eſſe conſequentiam, objecti gravitas culpam aggravat. Ergò, Obligatio legis dependet ab objecto. Nam gravitatem culpæ non objectum cauſatur, ſed *circumſtantiæ actionis.* Sic gravius quis peccat, qui ex proæreſi & animo deliberato peccat, quàm qui ex inadvertentia peccat. Ergò, Obligatio dependebit à proæreſi. Qui committit adulterium lucri faciendi gratiâ, utique gravius peccat, quàm qui amoris ergò: E. Obligatio dependebit à lucro. Qui fornicatur cum puella pulchra, ille minus peccat, quàm qui cum deformi: Ergò, Obligatio dependet à pulchritudine. Quis enim ignorat ex Ethicis, in omni actione morali circumſtantias ejus perpendendas eſſe, pro quarum natura, ipſa aliqua redditur bona aut melior: aut mala ac deterior: à quibus tamen circumſtantiis ipſa Obligatio petenda nequaquam eſt. V.G. prohibeat Magiſtratus *Saltare* de die, magis autem de nocte. Si itaque aliquis de nocte ſaltaret: ille utique magis peccaret. Si verò poſtea Magiſtratus revocaret ſuam voluntatem, III.

tem, quoad hoc, noctu ſaltare gravius peccari: objecti gravitas utique maneret, neque tamen culpa augeretur, aut ingraveſceret, imò ne quidem obligatio ad culpam amplius obtineret. Ex quo manifeſtum eſt, ab objecti gravitate obligationem legis nequaquam dependere.

Lege Naturæ omnes homines obligantur

97. Hactenus de omnis legis obligatione. Conſiderabimus nunc, *Obligationis Subjectum*. Et 1. quidem dicimus Legem Naturalem omnem omnino hominem, ratione ſua utentem, nemine excepto, obligare, tum quod culpam ſive conſcientiam, tum quoad pœnam, à Deo infligendam. 2. Lex Gentium uti omnibus Gentibus debet eſſe communis, ita quoque obligabit omnes gentes, de jure, *vid. ſupra* §. 89. 90. *& ſeq.* & quidem ita, ut ab illa obligatione, uti nec legis naturalis, ſolutus ſit Magiſtratus. Obiter hic notandum eſt, aliam rationem fuiſſe *circumciſionis, ſacrificiorum, & legum ceremonialium & judicialium Judæorum*: illæ enim quoniam partim ſolis Abrahami poſteris, partim ſolis Iſraëlitis à DEO impoſitæ ſunt, ita etiam neminem præter eos ſolos obſtrinxerunt. Ex qua cauſa etiam nec Moſes ſocerum ſuum, Jethro, ad hos ritus ſuſcipiendos adhortatus eſt; neque Jonas Ninivitas, nec alii Prophetæ Chaldæos, Ægyptios, Sidonios, Tyrios, Idumæos, Moabitas, ad quos ſcribunt,

Item Lege Gentium.

ſcribunt, ob eos non ſuſceptos repre-hendunt, licet eorum alia peccata ſatis rigidè enumerent. *Vid. Grot. l. 5. de Veritat. Religion. Chriſtian.* Quamvis etiam ſano ſenſu, imò rectius, leges propriæ dicerentur.

98. III. Leges verò Civiles obligant ſolum illos, quibus latæ ſunt, ſcilicet propriis ſubditis: quibus enim latæ non ſunt, eos etiam obligare non poſſunt, propterea quia nihil ultra ſuam ſphæram agit. Cum itaque Leges Civiles non ſint communes, ſed particulares, reſpicientes particularem aliquam humanam Civilem ſocietatem, eamque quâ ſubjectam Majeſtati, manifeſtum erit, ipſam Majeſtatem, ſive Principem ſuis à ſe legibus latis non teneri, & quidem *vi coactiva*, licet *vi directiva* videatur teneri: aut ſi etiam hanc quis velit à Principe removere, eo quod lex utraque vi ſolum eos obliget, quibus lata eſt, Principi verò hæc data & lata non ſit: negari tamen nō poterit, *decens* eſſe, ut capiti cum membris conveniat, atque ita efficacius ſubditos ad ſervandum id, quod juſſit, inducat, ſi viderint ipſum quoque facere, quod alios facere jubet: juxta illud *Claudiani:*

Lex Civilis, obligat illos, quibus fertur:

non Principem ſe rentem.

In commune jubes ſi quid, cenſeſq; tenendũ,
Primus juſſa ſubi, tum obſervantior æqui
Fit populus, nec ferre negat, cum viderit ipsũ
Autorem parere ſibi.

T Quo-

quamvis dignum ſit, & deceat Principem juxta leges vivere.

Quomodo intelligendæ ſunt *l.* 4. *C. de Leg. & Conſtit. Princip.* Digna vox majeſtatis regnantis, legibus alligatum ſe principem profiteri. *l.* 3. *C. de Teſtamen.* Nihil tam proprium imperii eſt, quam legibus vivere, *l.* 23. *ff. de Legat.* 3. Decet tantæ majeſtati eas ſervare leges, quibus ipſa ſoluta eſſe videtur. *Nov.* 105. *c.* 2. §. 4. *Vid. Gothofr. in not. ad l.* 4. *C. ad Leg. Falcid. Carbo tract. de Legib. l.* 7. *diſp.* 8. maximè verò *Petrus Muſæus diſp.* 2. *de Leg. Civil.* §. 12. *& ſeqq.* *Jacob. Martin. in Pol. pag. mihi* 617. *Hahn. in not. ad Weſenb. part.* 1. *pag.* 75. *Arriaga*, *l. c. pag.* 171. *Brandmüller. in diſp. de Leg.* §. 15. *Calixtus in Theol. Moral. pag.* 79. Si verò de hac quæſtione quis ferret cum *Trajano Boccalino*, *diſcurſ.* 14. *In fin. Cent.* 2. judicium idem, quod tulit de illa, quænam rerum publicarum eſſet optima, an laudem, an vituperium auferret, ignoro.

Lex quando incipiat obligare.

99. *Incipit* autem lex obligare omnis, quando promulgata eſt, ita ut in omnium notitiam, modò culpabili negligentia nō laborarint, pervenerit, aut pervenire potuerit. *Calixt. in Theol. Mor. pag.* 78. Non autem eſt neceſſe, ut ſingulis promulgetur, ſed ſatis eſt, ſi ita in communi ſit promulgata, ut citra difficultatem omnibus & ſingulis innoteſcere poſſit. Hoc quidē non negamus, promulgandas eſſe leges in ſingulis provinciis, cumprimis imperii magni, v. g. ſi ab Imperatore

ratore aliqua promulgaretur lex, Viennæ, quæ tamen totum imperium deberet obligare: niſi illa quoque promulgaretur in Saxonia, per quam illis in notitiam venire poſſit, non obligarentur.

100. Incipit præterea lex obligare *ſtatim*, quam primum *ſufficienter* eſt promulgata, non demum poſt *duos menſes*, niſi id expreſſè additum, uti *Nov. 66. c. 1.* conſtat, *Vid. Meiſn. in differt. de Leg. pag. 294. & ſeqq. Carbo l. 3. de Leg. diſp. 8.* Et, ſi legi adjectum certum tempus eſt obligationis, ante impletum illud tempus, ſolum *materia legis* eſt, non ipſa lex, etiamſi illa legis materia in meam notitiam per promulgationem venerit. Manet itaque adhuc, Legem, qua talem, *ſtatim* incipere à promulgatione ſua; non verò materiam legis. *Arriaga diſp. 17. de Leg. ſect. 4. ſubſect. 1. 2. & 3. Gregor. de Valenz. diſp. 7. q. 5. punct. 5. pag. 943. Perez. in Cod. de Leg. & conſtit. Princ. n. 20.* *nimirum, quando eſt ſufficienter promulgata.*

101. Ex hactenus dictis inferimus, quoniam lex, & obligatio legis dependet *à juſſu & voluntate Principis*, Legem Civilem, non ut Naturalem, *immutabilem eſſe*, ſed mutabilem: quam mutationem variis ex cauſis recipere poteſt, & 1. quidem ex mera voluntate; nam tamdiu lex civilis obligat, & manet lex, quamdiu Majeſtas eam vult obligare, aut manere: cujus enim eſt *Lex Naturalis eſt Immutabilis*

Lex Civilis mutabilis. dare leges, illius etiam eſt eas tollere, in Civilibus. 2. Ex natura objecti: quamdiu enim objectum tale eſt, ut cum effectu circa illud verſari poſſit, tamdiu quoque lex illa ſemel data, obligabit: mutabitur verò & ceſſabit, ſi actio, circa quam occupata fuerat, ſucceſſu temporis deſinat in noſtra poteſtate eſſe, ut juberi amplius cum effectu non poſſit, ideoque prohiberi eam etiam opus non eſt, ſed ultrò ceſſat, cum ad impoſſibilia nulla detur obligatio. Vel etiam 3. ſi objectum illud ita mutetur, ut lex illa, citra violationem legis majoris, aut ſuperioris, obſervari non poſſit. 4. Nonnulli addunt, ceſſare legem, legis ceſſante ratione, ex qua ſcil. lex lata eſt. Sic ſi ex utilitate reipublicæ eſſet lex quædam data, poſt verò utilitas illa ceſſaret, & fieret potius quoddam inutile, utique lex illa mutari deberet, & ceſſare, maximè, ſi grandis quædam inutilitas ac periculum ex lata & retinenda lege exſurgeret: quod etiam videtur probari poſſe, *l.* 3. §. 18. *C. de Vetere jure enucleando*: quia ideo imperialem fortunam rebus humanis DEUS propoſuit, ut poſſit omnia, quæ noviter contingunt, & emendare, & componere, &c.

102. An verò hoc ultimum univerſaliter valeat, rem non parum dubiam facit, mutatio *Sabbathi in diem dominicum*, cujus Sabbathi ratio adhuc valet, nimirum, ab operi-

operibus creationis, *quies*, & tamen Sabbathum ſublatum eſt, quoad ſeptimum diem. Qua de re tamen videantur Theologi.

103. Supra §. 86. diximus, Legis obligationem duplicem eſſe, unam *ad culpam*, & vocari illam *Vim Directivam*, ſive obligationem *quoad Conſcientiam*: alteram *ad pœnam*, eamq; vocari *Vim Coactivam*. Priorem obligationem ſufficienter expoſuimus ibidem: Poſteriorem hac vice pluribus conſiderabimus,

104. Quoniam autem hæc vis coactiva Extrinſeca pœnam reſpicit, non abs re erit, ſi, *quid pœna* propriè *ſit*, explicemus. *Hugo Grotius de Jur. Belli & Pac. l.* 2. *c.* 20. *n.* 1. definit in genere pœnam, quod ſit *malum paſſionis*, *quod infligitur ob malum actionis*: intellige tàm *Commiſſionis*, quam *Omiſſionis*: ſub facto enim etiam non factum comprehenditur, *l.* 60. *ff. de Condit. & Demonſtrat. l.* 121. *ff. de R. J.* Ex quo fundamento etiam *Thomas* 1. 2*æ. quæſt.* 71. *a.* 6. definitionem peccati, ab *Auguſt. lib.* 22. *contra Fauſtum c.* 27. datam, *Peccatum eſt dictum vel factum vel concupitum contra legem æternam*, explicat, ut ſcilicet non dictum, non factum ſubintelligendum ſit: *Vid. Gregor. de Valentia Tom.* 2. *in Thomam. diſp.* 6. *quæſt.* 1. *punct.* 1. *pag. mihi* 610. *Definitio Pœnæ.*

Pœna quomodo malum Paſſionis. 105. Quando autem dicitur, quod ſit *Malum Paſſionis*, non debet intelligi paſſio *phyſica*; hoc enim modo non omnis pœna paſſio eſt, eo quod multæ actiones ſoleant injungi in pœnam, item bonorum privationes, quæ tamen non ſtatim paſſionem phyſicè inferunt, adeoq; paſſio hîc erit *omne id, quod alicui moleſtum eſt*, ſive ſit paſſio propriè & phyſicè dicta, ſive *moralis*, prout ſemetipſum explicat *Grotius l. d.*

Alia pœnæ definitio. 106. Alii Pœnam ita deſcribunt: *Pœna eſt vindicta, quæ ob admiſſum delictum, adminiſtrandæ juſtitiæ, & ſalutis publicæ cauſa, à ſuperiore in delinquentem publicè & legitimè exercetur.* In qua definitione quando dicitur, quod ſit *vindicta*, innuitur Materiale pœnæ, quod eſt *Malum* aliquod, ex quo, qui punitur, moleſtiam capit, ſive quia bono uno vel pluribus privatur, & *pœna damni* vocatur; vel quia doloribus afficitur, coactus agere aliquid vel pati, quod ſenſibus ingratum, & vocatur *pœna ſenſus*. Quando verò dicitur, *ob admiſſum delictum*, formale ejus indicatur, niſi enim quis moleſtiam capiat *ex culpa*, moleſtia illa *rationem pœnæ non habet*, v. g. ſi quis ex vitio aliquo naturæ laboret, nimirum ex abundantia ſanguinis, ſi quis laboraret ὀδονταλγίᾳ: hac de re prolixè egi *l. 3. Inſtitut. Metaphyſ. c. ult. ſect. 2. de Malo.*

Pœna damni. *Pœna Senſus.*

107. *Finis* pœnæ innuitur iſtis verbis: *juſtitiæ*

juſtitiæ adminiſtrandæ, & ſalutis publicæ cauſa: intereſt enim reipublicæ, ne delicta maneant impunita *l.* 14. *C. de Pæn. c. ut famæ* 35. *de ſent. excommunic.* ad quem finem adhuc duo requiruntur, I. ut illa pœna *à ſuperiore* imponatur: ſicuti enim lex propriè non eſt, niſi ſit lata ab eo, qui poteſtatem legem ferendi habet, ita quoque pœna propriè non eſt, niſi impoſita ſit ab eo, qui imponendi poteſtatem habet. v. g. ſi quis in aliquem deliquerit, & ille ſe privatim vindicaret, ſi alapam impingenti, aliam impingeret, aut vulnerantem vulneraret, pœna profectò non eſſet, ſed eſſet ſola *defenſio*, ſive injuriarum *repulſio*, vel privata *vindicta*. II. Ut pœna quoque *publicè & legitimè* infligatur, ſive exerceatur: nimirum ne pœna culpam excedat, cum pœna & culpa relata ſint *l.* 11. *ff. de Pæn. l.* 19. *C. de Pæn.* unde Auguſtin. *l.* 1. *Retract. c.* 9. *dicit*: omnis pœna, ſi juſta eſt, peccati pœna eſt, & ſupplicium nominatur: *Subjectũ Pœnarum*, ſunt *homines delinquentes*, ſive injuriam facientes: etenim *innocentes* puniri non poſſunt, nec etiam propriè pœna eſt dicenda, ſi bruta aliquando malo afficiuntur, uti videre eſt, *Exod.* 21. 28. *Deuteron.* 20. 25. cum enim nulla à brutis culpa propriè comittatur, utpote quæ voluntate ſunt deſtituta, etiã propriè puniri nequeũt, qua de cauſa etiam dicitur, ſi quadrupes *pauperiẽ* fecerit,

Finis Pœnæ.

Pœnæ ſubjectum homines.

non ſi *injuriam l. 1. §. 3. ff. ſi quadrup. pauper.* in illis enim delinquendi animus abeſt. Et quando bruta videntur puniri, non fit id puniendi cauſâ, ſed ut tanti facinoris memoria aboleatur; ſicut ædes etiam nonunquam, ubi enorme aliquod crimen commiſſum, ſolent comburi. *Vid. Cellar. l. 2. Polit. c. 8. n. 14. Hornet in doct. civ. l. 4. c. 3. pag. 591.*

108. Quoniam itaque pœna propriè dicta ex culpa infligitur, & culpa ac pœna relata ſint: etiam, quid culpa ſit, videamus. *Culpa eſt voluntaria actio, vel actus alicujus omiſſio, terminata ſive immediatè ſive mediatè ad legis transgreſſionem.* Malum itaque culpæ conſiſtere dicimus *in defectu liberæ actionis à dictamine rectæ rationis*, ſive hic defectus ſit carentia honeſtatis vel rectitudinis tali actioni debitæ, i. e. ſive ſit omisſio actionis debitæ, ſive ſit actio carens rectitudine ſibi debitâ ſecundùm rectam rationem. *Dices:* non omnis actionis defectus ſtatim ad malum culpæ pertinet, v. g. error, vel actio malè ſcribendi aut pingendi. ℞. Actiones hæ non ſunt morales, indeque ad culpam referri nequeunt. Quid verò dicendum de *Peccato Originis*, quod malum culpæ eſt, nec tamen defectus actionis eſt, ac voluntatis. ℞. Culpa proximè & immediatè non eſt, niſi in actione: Et peccatum Originale, licet immediatè hoc modo

Culpa quid.

Peccatum Originis.

non participet de culpa; mediatè tamen, & remotè culpam eſſe; nemo ſaniorum negabit quatenus nimirum defectus, qui fuit in actuali culpa, cenſetur in poſteris per modum habitus moraliter permanere.

109. *Dicis*: Nihilominus hoc modo peccata *Omiſſionis* non erunt mala culpæ, & per conſequens peccata omiſſionis immeritò puniuntur, quod eſt contra omnes Theologos. ℞. Debita actionis omiſſio moralis & humana non ſolet inter mala culpæ computari, niſi quatenus moraliter eſt quædam *actio*, dum videlicet non fit ſine poſitiva voluntate continendi ſeipſum, *aut* ſimili modo. Hoc ut intelligas, nota, *actiones eſſe duplices*, alias eſſe *Elicitas*; alias *Imperatas*, ſive, ut alias ſolent loqui, alias eſſe *internas, externas* alias. Actiones internæ ſunt, ſive Elicitæ, quæ proximè & per ſe fiunt, aut fieri poſſunt ab ipſa voluntate, ſive, quæ immediatè procedunt ab hac potentia, non demũ interventu alterius potentiæ: *Actiones* verò *Imperatæ* ſive externæ ſunt, quæ ad imperium alterius potentiæ eliciuntur aut exercentur, v. g. Locomotiva non exerit actiones ſuas niſi ad imperium voluntatis.

Peccatum Omiſſionis quomodo particeps de Culpa.

Actio Elicita.

Imperata.

110. Jam, actiones externæ non ſunt malæ, niſi quoque actiones internæ malæ ſint, quia malum hoc modo ſumptum eſt voluntarium: ſi itaque actiones externæ

T 5 debent

debent eſſe voluntariæ, & moraliter malæ, neceſſariò actiones malæ internæ præcedent voluntariæ & moraliter malæ. Atque ita tota formalis malitia ſeu deformitas moralis eſt in actionibus interioribus, à quibus dimanat in actus exteriores, ita ut actus exteriores non habeant rationem mali culpæ, niſi prout ſubſunt interioribus, & ab iis informantur.

111. Et hinc eſt, quod actus interior & exterior, licet in Entitate phyſica ſint duo, vel plures, moraliter tamen ſint unus actus, juxta regulam Scholaſticorum, quod tunc ex duobus actibus phyſicis componatur propriè unus actus moralis, quando unus habet totam ſuam moralitatem ab alio, quod tunc contingit, quando tota libertas unicus eſt denominativè, ſeu imperativè ab alio, quo pacto in præſenti interior & exterior actus inter ſe comparantur. Ut clariſſimè dicã: quidam ſtatuunt, quod in omni peccato ſit aliquis actus interior voluntatis elicitus, vel exterior imperatus. Interior ut *velle omittere*, ſive *velle non facere*, quod præceptum eſt, aut velle ſuſpendere actum, quem tenetur facere, aut velle facere actum incompoſſibilem actui, ad quem tenetur. Exterior ut operatio alicujus eâ horâ, qua tenetur aliquid facere, quo impeditur ab eo, quod facere tenetur. *Vid. B. Gerb. Tom. 2. LL. CC. p. 468. Nicol.*

Nicol. de Nüſſe, pag. 220. *Suarez. diſp.* XI. *ſ.* 1. *n.* 4. *& 5. Hornej. Doct. Civ. pag.* 255.

112. Ita culpa conſiſtit in actione vel in defectu actionis, verùm *actionis Liberæ*, & defectu à dictamine rectæ rationis. Conſiſtit autem omnis culpa intrinſecè & formaliter in defectu actionis liberæ, quia requiritur ad omnem culpam propriè dictam, Liberum & Voluntarium. Hinc *Damaſcenus* negat *l.* 2. *de Fide, c.* 7. vitium eſſe in eo, quod à neceſſitate eſt. Unde *Ariſt. Magn. Mor. c.* 9. ait, in noſtro arbitrio eſſe mala facere: & hoc multis oſtendit 3. *Ethic. c.* 5. nimirum, niſi homo ſponte & liberè malus eſſet, omnes comminationes, pœnas, præmia, admonitiones, vituperia, laudes, leges, &c. fruſtranea fore. Ex qua cauſa etiam JCti, opprobria, damna, aut ſimilia, ab amente, aut non advertente illata, inter injurias non referunt, nec ab ullo vindicantur, quia conſideratur ſic operari, vel non operari in ejus voluntate poſitum non fuiſſe: furioſi enim Voluntas nulla eſt, *l.* 40. *ff. de R. J. Vid. Meiſn. in Philoſ. Sobria. pt.* 3. *pag.* 249.

Culpa eſt in actione Libera

113. Quid quod etiam ex majori voluntate, vel minori, culpa cenſeatur gravior, aut levior? *vid. diſp. noſtra* 4. *Eth. de Volunt.* §. 33. *& ſeqq.* Culpa enim, quæ directè eſt voluntaria, h. e. plena libertate, & deliberato animo, ac per expreſſum actum ſeu propoſitum

ſitum voluntatis committitur, cenſetur gravior iſtiusmodi culpâ, quæ ſolum indirectè eſt voluntaria, v. g. ex ſurreptione & imperfecta deliberatione, ex negligentia culpabili, ignorantia vincibili, aut alio ſimili modo. Ex hac cauſa patet, propriè pœnam in bruta non cadere, prout ſupra quoque §. 5. oſtendimus. *Vid. Conringius in diſp. Philoſ. de jure*, §. 10. *Dn.* Ungepaur. *in Exerc. Juſt.*

Voluntarium in culpa, quale. 114. Adverte tamen I. *Voluntarium* hic requiri ad naturam culpæ ſive peccati, quatenus nimirum voluntarium opponitur coactioni: peccat homo voluntariè, i. e. non coactus, ſed liberè: *Vid. Gerhard. l. 6. p.451.* II. Liberum ſive Voluntarium in malo culpæ duplex eſt: quoddam enim liberum ſive voluntarium eſt *immediatum* & *proprium* ſive noſtrũ, h. e. noſtra propriâ voluntate, & per nosmetipſos committitur, ut in culpis actualibus: quoddã eſt liberum ſive voluntarium *mediatum*, ſive voluntate *aliena*, h.e. interpretativè: & hoc modo *Auguſt.* dicit, Peccatum originis eſſe voluntarium, voluntate capitis humani generis, Adæ, primi hominis, qui repræſentabat totum genus humanum, ita ut ejus actiones omnes, ſive bonæ, ſive malæ eſſent, noſtræ dicerentur & eſſent. Huc quoq; referri debent omnia illa, quæ aliâs *cauſa morali* tribuuntur; utpote in quâ Voluntas & intentio effectus *directè* obtinet. *V. diſp.*

eſt duplex, Immediatum:

Mediatũ.

noſtra

noſtra de Cauſ. Mor. III. Liberum ſeu Voluntarium aliud eſt *Actuale*, ut in peccatis actualibus, aliud *Habituale*, ſi culpa ſit per modũ habitus:& hæc culpa ea ratione cenſetur eſſe volunta ria,quatenus voluntarium,quod fuit in actu,cenſetur per modũ habitus moraliter permanere,abſq; quo voluntario in actu, voluntarium habituale non haberet veram rationẽ culpæ; ut ſupra quoq; §. 108. docuimus.

Culpa quomodo in cauſa morali.

115. Ut autem ea, quæ de cauſa Morali dicta ſunt,rectè intelligantur: ſciendum eſt, quamvis in cauſa Morali actio aut influxus phyſicus nullus ſit, illam tamen cauſam circa alterius agentis actionem & influxum ita ſe habere, ut influxum illum, ſive actionem *materialiter*, non formaliter, & quidem ſub ratione transgreſſionis intendat. Ex qua intentione poſtmodum fit,ut delictum alterius rectè & potiori aliquando jure ei imputetur, qui id non commiſit, quàm alteri.

Intentio eſt vel Directa,

116. Eſt autem intentio i lla duplex, vel *directa*, vel *Indirecta*, pro ut indicatum eſt *ſupra* §. 108. quæ profectò ad amuſſim obſervanda, in exercenda Juſtitia, in ordine ad culpam & pœnam: qua de re videatur prolixè *Beat. Dn. Schlevogt in diſp. Ethica de Voluntario n.* 41. *& ſeqq. Beat. Dn. D. Calixt. in Theolog. Morali, de Principiis Actionum Hominis renati. p. mihi* 39. *Thom.* 1. 2æ. *q.* 6. *art.* 8. *Excell. Dn. Jacob. Schaller S. Theol. D. Amicus*

vel Indirecta.

mus

meus edecumanus, *in diſp. pecul. de Voluntario Indirecto*, *& ex Omiſſione.* Intendit autem aliquis transgreſſionem legis tam directè, quam indirecte, uti jam monuimus, ſi modo delicti materiam, non ſimul (hoc enim neceſſarium non eſt, imô hanc nemo intendit, niſi ſub ratione boni) formam intendat. Nam *in delicto* duo occurrunt, *Materiale*, quod eſt quævis actio voluntaria, vel actus alicujus omiſſio, quæ eſt contra legem: *Formale*, quæ eſt ipſa *ἀνομία*, conſideratâ, ut eſt *ἀνομία*, h. e. rectitudinis, quam Lex præſcribit, privatio intimè cum materiali, nempe cum actione, vel actus omiſſione conjuncta.

117. Exempla totam rem clarè explicabunt: Transgreſſionem Legis directè, ſaltem quo ad materiale intendit, qui ſciens & volens agit, quod lex præſcripta vetat, aut omittit, quod illa jubet: qui transgreſſori conſilium dat, qui jubet, qui cogit, qui ſubminiſtrat media & inſtrumenta, ſi eo fine ſubminiſtrat, ut facinus adjutet, qui removet prohibens, qui crimen, quod alius patrandum ſibi propoſuit, approbat, laudat: *Vid. diſp. noſtra de Cauſa Morali* §. 21. Idem procedit in omiſſionibus quibusdam v. g. qui eo fine ut crimen ab alio committi faciat, id non impedit, non diſſuadet, non vetat, cum poſſit & debeat: item qui alteri injuriam patienti non fert opem, quam poterat,

& jure

& jure quodam ferre tenebatur; qui alterius delicti conſcius, id cum teneatur indicare, non indicat.

118. *Indirectè* transgreſſionem Legis intendit, qui quod facit, vel omittit, non eo quidem animo facit vel omittit, ut delinquenti anſam præbeat; novit tamen, ſi tale quid faciat vel omittat, fore aut fieri ſaltem poſſe, ut alius delinquendi occaſionem capiat: v. g. qui ebrio gladium porrigit, non eo animo, ut alteri damnum inferat, novit tamen, eum aliàs inter pocula rixari, aliisq; nocere ſolitum, is indirectè ſaltem cenſetur intendiſſe damnum, ſi quod ebrius accepto gladio intulerit. Si qui non impedit delictum, cum poſſit & debeat, is, licet non eo animo non impediat, ut delictum perpetretur; tamen cum benè ſibi conſcius ſit, ſe poſſe & debere impedire, ſciatq; per ſuam negligentiam fieri poſſe, ut tale delictum ab aliquo committatur, is indirectè ſaltem intendiſſe rectè dicitur. *Vid. Petrus Muſæus in diſp. 3. de Leg. Civil. n. 5. Ariſtoteles 5. Metaph. c. 2. t. 2.* exemplum aliud ſuppeditat, nimirum nautæ, cui imputatur naufragium, quod obortâ in mari tempeſtate, ipſe ſomno ſopitus, aut abſens non operam navarit a vertendo periculum, quod non potuiſſet modo, ſi vigilaſſet, avertere, ſed etiam debuiſſet. *Vid. noſtra diſp. 3. Metaph. in 5. Metaph.*

Ex

ex hactenus allatis apparet, ſive quis admotâ manu propriâ legem violet, ſive cum altero eam violante communicet, utroque modo culpam eum admittere, ac pœnam mereri.

An Nobilis mitius puniendus?

119. Cum itaq; ex allatis conſtet, quod pœna, ad quam lex obligat, culpam ac delictum excedere non debeat, non incommodè quæſtio inde inſtitui poteſt, *An ſalvâ naturâ Legis, Nobilis mitius puniri debeat, ignobili?* Negativa facilè inde probari poterit, quod inter delictum & pœnam omnimoda æqualitas ſervanda ſit, quæ ſanè locum non habet, ubi paria delicta ſunt, pœnæ autem impares. Pœnæ igitur irrogandæ ſunt proportione Arithmetica, qua ſimpliciter res rei adæquatur, non quidem ſecundùm quantitatem propriè ſic dictam, nec ſecundùm ſpeciem, ſed ſecundùm quamcunque commenſurationem, quam inter ſe res habent, de quibus agitur. Quæ ut rectè ſe habent, I. delictum ut & pœna abſolutè & ſecundùm ſe ſpectata æſtimatur. II. ſi de utriusq; gravitate conſtat, inter ſe comparentur & ſi inæqualitas apparet, ad æqualitatem redigatur.

Conſideratio Circumſtantiarum proportioni Arithmeticā nō obſtat.

120. In cognitione culpæ, & delicti æſtimatione attendi utique debent circumſtantiæ perſonarum, tum delinquentis, tùm læſi. Hinc judex probè dignoſcat, an ſponte, an invitè quid factum: Si ſponte, an ex electione, an præter electionem: an delinquens

quens vitiis adſuetus, & ſæpiùs exorbitaverit: an ſit honeſtiore loco ortus, nobilis & prudens, qui ſibi omnium maximè à tali peccato cavere potuiſſet, quique aliis bono exemplo præire debuiſſet, quibus delictum aggravari conſtat. Vel ſi non ex proæreſi, ſed ex imbellicitate & imprudentiâ factum, ſi ab homine cætera inculpato, ſi culpa non tàm in malam intentionem, quàm in ætatem, ſexum, vel alia, quæ infirmum rationi judicium arguunt; iis delictum minuitur.

121. Sed & conditiones læſi expendendæ ſunt: quo enim eſt ſuperior læſus, eo injuria ipſi, v. g. Magiſtratum gerenti, illata gravior habetur, *teſte Ariſtotele 5. Ethicor. c. 8.* Item an læſus anſam dederit injuriæ inferendæ, vel non: qua de re pluribus *videatur diſputatio Ethica de juſtitia, Excellentiſſ. Dn. D. Eichelij* §. 24. *& ſeqq.*

122. Pœna quoque æſtimari debet, ne videlicet vel gravior vel levior imponatur delinquenti: proinde ad delinquentis conditionem, vel bona potiùs, quibus is privari poſſit, reſpiciatur. Cùm enim omnis pœna, etiam illa, quàm *pœnam ſenſus & poſitivam* vocant, ſecum trahat boni alicuius, vel plurium privationem, ſæpè contingit, ut pœna, licet ſpecie ſit eadem, proportione tamen diverſiſſima, & vel gravior vel levior juſto, eo, quod uni plura, quàm alteri eripi-

antur bona v. g. pœna metalli plebejum, & virum nulla dignitate auctum, civitate & libertate privat: virum autem honeſtiore loco ortum, & dignitate clarum, non ſolùm civitate, & libertate, ſed & dignitate ac honoribus mulctat: adeòque hæc metalli pœna, eadem abſolutè eſſe non poteſt. *Vid. Beat. Hornejus in Doctr. Civil. l. 3. c. 13.*

Proinde ſalva juſtitia in pœnis infligendis habendus perſonarũ reſpectus.

123. Ex quibus rectè inferimus, *in pœnarum irrogatione, reſpectum habendum eſſe perſonarum*, ut tamen per hoc *non rectè* inferatur: *Ergò in infligendis pœnis obſervandam eſſe proportionem Geometricam, non Arithmeticam.* Manet enim firmiſſimum, quod inter delictum & pœnam debeat eſſe æqualitas omnimoda, quæ ſanè alia eſſe non poteſt, quam Arithmetica. Exactiſſimè totum hoc negotium explicantem *vid. Dn. Petr. Muſæum diſp. 3. de Leg. Civil. §. 31. & aliquot ſeqq. item Clariſſ. Scheurel in Diſſertat. Moralibus, diſſert. 14. n. 26. 28. & ſeqq.*

124. Pœna ex lege ita delicto illata æqualiter, cum nec gravior juſto, aut levior eſſe debeat, debebit ſanè delinquenti perſonæ irrogari, non innocenti. Quoniam autem ſæpè videmus, *innocentem pro nocente puniri, quæritur, an & hoc ſalvâ legis naturâ fieri poſſit?* vel *an quis puniri poſſit, ob delictum alienũ, quod nec à ſe eſt commiſſum, nec ullo jure ſibi imputari poteſt?* & hoc quidem ex delicto alieno,

An innocens pro nocente puniri poſſit?

alieno, *tanquam ex proxima cauſa.* Hic profectò in negativam deſcendendũ eſt, quandoquidem cauſa meritoria pœnæ cum delictum ſit, hoc ſuam cauſalitatem meriti non extendet extra perſonam, à qua eſt patratũ *argt. l. 22. C. de Pœn.* niſi ſint plures, qui in eodem crimine participarint. Hinc rectè *Grotius l. 2. de Jur. Bell. & Pac. c. 21. n. 12.* docet, Obligationem ad pœnam ex merito oriri: meritum autem eſt perſonale, quippe ex voluntate ortum habens, qua nihil eſt magis nobis proprium; unde αὐτεξέσιον vocatur. Et *Benedictus Pererius in Geneſ. tom. 2. l. 14. diſp. 4.* Quoniam peccatum non eſt, niſi voluntarium, neceſſe eſt, actum eſſe perſonalem; quocirca nemo talem pœnam propriè luit pro alieno, ſed pro ſuo peccato. *Vide Arriaga Tom. 1. in Thom. 1. 2æ. diſp. 55. ſect. 1.*

125. Quamvis igitur ex delicto alieno, tanquam ex proxima cauſa alienus propriè puniri non poſſit, videtur tamen aliunde innocens, atque ſic ex alieno delicto pœnam jure ſuſtineri: *Quærimus* ergò, *Si non ex delicto alieno, an ex alia quadam cauſa jus naſcatur repetendi ab innocente malum, quo nocens ex delicto, adeoq; merito ſuo plectendus erat?* Negare profectò non poſſumus, hoc videlicet in vita communi crebro accidere, ut innocens pro nocente puniatur: quamvis *malum, quod* hoc modo *innocens pro nocente ſuſtinet, propriè & ſtrictè pœna non ſit,* ſed *Quâ ratione innocens pro nocente puniri poſſit?*

impropriè tantùm, & quidem in ordine ad effectum pœnæ, utpote per quam ſatisfit juſtitiæ & legi, per delictum violatæ, & domino legis, ſive patiatur malum ipſe delinquens, ſive alius ejus loco. Quod autem crebro hoc fiat, fide jubentes & ſponſores, obſides item, ac vades exemplo eſſet poſſunt. Et quidem hujus juris cauſa alia non eſt, quàm *Promiſſio*, quâ ſe pro alio obſtrinxit & obligavit, ſi modo ſui juris eſt & poteſtatem ſe obligandi habet. *Grotius l. 2. 21. n. XI.* Unde pupillus citra conſenſum tutorum ſuorum ſe obligare non poteſt; prout ex jure abunde conſtat.

Ex promiſſione:

126. *An* autem *hac promiſſio ſe etiam extendat ad ſuſtinendam mortem loco alterius delinquentis*, autores non conveniunt. *Grotius l. c.* hoc negat, eo, quod nemo ſit dominus membrorum ſuorum *l. 13. ff. ad Leg. Aquil.* Si nemo membrorum ſuorum dominus eſt, *l. 13. ff. ad L. Aquil.* multò minus vitæ ſuæ, tanquam totius. Cum itaq; nemo poſſit plus juris ad alium transferre, quam ipſe habet, *l. 54. ff. de R. J. item c. 79. de R. J. in 6to.* Procedit autem hoc, in homine mero, & quidē quoad malum privatum avertendum: aliter tamen res ſe habet, ſi quis immeritò quidem malum ſuſtineat *ex pietate & amore patriæ*, ad avertendum totius patriæ aut civitatis interitum: etenim hoc modo ſibi cruentas manus non infert, neq; temerè ſe aliis occidendum

qua an ad mortem ſe extendere poſſit, quaritur.

Videtur affirmandum: ſcil. ex amore patria.

dum offert, ſed ſatius eſſe putat, ſe mori,quã patriam, & ut unus pro populo moriatur, cum forſan ipſi moriendum æquè fuiſſet, eversâ patriâ. *Vid. Le.Bleu in diſp. de Jure Dominationis. theſ. 35. pag. 142.*

127. Diximus,hoc procedere de *homine mero*: quare in graviſſimo verſantur errore *Photiniani*, qui ſtatuunt ex noſtra doctrina, dum credimus Chriſtum agnum immaculatum ob noſtra peccata, quæ ultrô in ſe recipit, iniq; eſſe occiſum, cum inſontem pro ſonte plecti iniquum ſit. Nam quia Chriſtus non eſt merus homo, θεάνθρωπος, ab illo ad hunc argumentari non licebit. *Vid. Excell. Dn. D. Hornei, part. 2. diſp.Theolog. 1. ſect. 4. n.* 133. Deinde Chriſtus utpote DEUS & Dominus ac cauſa omnium creaturarum, utiq; poteſtatem in ſe & à Patre ſuo habuit, ponendi vitam pro ovibus ſuis. *Joh. 10. v. 17. & 18.* quæ poteſtas homini mero non competit. Quo eluitur exceptio Photinianorum, quando negant, *Chriſtum Deum verum eſſe*: quo poſito (*non* tamen unquam *conceſſo*) à Patre DEO tamen ipſi poteſtas data eſt in propriam vitam, eamq; per promiſſionem pro alienis delinquentibus ad mortem devovendi, ne poſſint nobis objicere, nos ita reſpondendo committere petitionem ejus, quod erat in principio.

Hinc cognoſci poteſt gravis Photinianorum error, in doctrina de Satisfactione Christi pro noſtris peccatis.

128. Verum licebit hic contra nos excipere,

cipere, & dicere: quoniam nobis fatentibus reſpectu innocentis patientis, malum quod pro nocente patitur, non eſſe pœnam propriè dictam; falſum adhuc erit, Chriſtum pro nobis legi violatæ ſatisfeciſſe, ut quæ aliter locum nõ habebit, quàm ſuſtinendo pœnas à Lege conſtitutas. ℞. Pœna licet non ſit *reſpectu patientis*, uti ſupra docuimus, eſt tamen talis *reſpectu delinquentis*, licet illa poſtea gratis remittatur, dum alii imponitur, & ipſi imputatur, ac ſi actu & in ſubſtantia ſuſtinuiſſet: quia etiam hoc modo violatę legi ſatisfit. Deinde abſurdum non eſt, etiam reverà pœnam eſſe reſpectu illius, qui malũ non ſuſtinet, ſed alius: nam quando inter quoſdam arctiſſima intercedit conjunctio, ut inter patrem & liberos, inter maritum & uxorem, malum, quo intuitu patris filius afficitur, licet pater in ſubſtantia malum illud non ſuſtinet, patri tamen infligitur, & ſibi inflictum agnoſcit: Sic ſi uxor afficitur aliquâ pœnâ, meritò mariti, maritus ſanè illam ſibi illatam eſſe fatebitur. *Vid. Gregor. de Valentia tom. 2. diſp. 6. q. 17. punct. 2. pag. 802.* Poſſet huc aliquo modo referri illud, quod in jure civili parentibus pœna ſit impoſita, liberos ſuos inceſtuoſos non alimentare: quã non alimentationem non ipſi parentes ſuſtinent, ſed liberi inceſtuoſi: *Vid. Dn. D. Ludw. in not. ad Weſenb. tit. de Agnoſcend. & Alend. liberis, Item Perez in Codic. lib. 5. tit. 5. n. 13.*

Mors, quã Chriſtus pro noſtris peccatis ſuſtinuit, quomodò rectè dicatur pœna?

129. Dicis

129. Dicis cum *Volckelio l. 5. de vera religion. c. 22.* verum eſſe non poſſe, nocenti gratis peccata remitti, ſi pro illis, ab alio licet, ſatisfactum ſit. *Reſpondeo*, rectiſſimè adhuc remiſſio illa gratuita dicitur, propterea, quia ipſi debebamus ſubire pœnas æternas, quas poſt Chriſtus in ſe recipit noſtri commiſeratione, ut ab illa pœna nos liberaret; & quum Pater illam alienam ſatisfactionem clementer accepit, & nobis eam imputavit, ac ſi noſtro merito eſſet facta, an non gratuitũ id rectiſſimè dicitur, cum per nos facta non ſit, & tamen nos dimitti curavit. *Vid. Grotius de ſatisfactione contra Fauſtum Socinum.* Nullatenus enim verum eſt, quod regerit *Volckelius*, remiſſionem & condonationem excludere ſatisfactionem: niſi hoc intelligas *de eodem ſubjecto*. In diverſis enim ſubjectis benè ſtare poſſunt ſimul condonatio & ſatisfactio: condonatio, ratione illius, pro quo alienus ſolvit: ſatisfactio, ratione illius, qui pro alieno ſolvit.

ut tamen cum gratuita remiſſione peccatorũ non pugnet

Quomodo condonatio excludat Satisfactionem.

130. Porrò, licet in temporalibus aliquando locum habeat, ut filius portet iniquitatem patris, ſive jure dominii, ſive delictorum paternorum metuenda imitatione, docente *Hieronymo, ſuper Exod. 20. Pererio tom. 2. in Geneſ. l. 14. diſp. 4. n. 167.* non tamen in æternis, de quo puniendi modo intelligendus eſt, *Ezech. c. 18. Grotius l. 2. de Jur. Bell.*

& Pac. c.21. Filii tamen,ſi non æquè impro-bi ſunt ac patres,quo jure ipſi merentur affligi propter parentes: unde *Volckelius l.c.* dubium movet: *an jure fieri poſſit, ſive juſtitia* DEI *non repugnante, ut innocens, ſive filius ſit, ſive alius, propter ſcelera alterius quicquam patiatur? Stephanus Curcelleus* hic ſtatum aliter movet, *in tract. de Jure Dei in creaturas innocentes*, cum quo facit *Arriaga: Tom.* 1. *in Thom.* 1. 1*æ. q.* 55. *ſect.* 3. qui negant, ſufficientem cauſam eſſe ὑπεροχήν; Nos diximus, illud nos non ferire, cùm interveniat *ſpontanea* pœnarum *ex amore* erga genus humanum liberandi ab æterna pœna *promiſſio* & ſuſceptio, judice & parte offenſâ, *Patre* eandem *acceptante.*

Stante tali ſatisfacti-one, & Dei juſtitia, et miſericordia ejus ſalvantur.

131. Et hoc ipſo & *juſtitia* Dei ſalvatur, quæ requirit, ut bonum infinitum impunè non lædatur: & *Miſericordia* Dei, quæ temperamentum hoc invenit, & admittit, ut, cum viderit, genus humanum,ut tale, juſtitiæ Divinæ & infinitæ læſæ, ſatisfacere non poſſe, alium autem, in carne humana, cui per divinam naturam perſonaliter unitam, *vim carni humanæ, virtutemq; ac efficaciam infinitam largientem,* ſatisfacere poſſe, quam ſatisfactionem gratuitam, ſi per modū conditionis ſalvandi ſibi vera fide applicet, ſe habiturum eſſe, ac ſi ab ipſo genere humano in proprio eſſet facta, indeque dicto generi humano

mano omnium peccatorum remiſſionem gratuito, atque ſic vitam æternam largiturum eſſe.

132. Quod juſtè fieri poſſit, ut inſons aliquando loco ſontis puniatur, puto, ex hactenus allatis abunde conſtare; quo in caſu nihilominus attendi debet *juſta proportio inter delictum & pœnam*, ne videlicet pæna, inſonti impoſita, delictum ſontis non excedat. *Dicis*, ſi hoc verum, & ex noſtra ſententia Chriſtus pro peccatis noſtris ut inſons pro ſontibus ſatisfecit; quomodo obſervata fuit juſta proportio inter culpam & pœnã? pœna delictorum humanorũ dicta erat *mors æterna*, quia offenſum erat bonum infinitum: Chriſtus autem, qui noſtri loco ſuſtinuit illam pœnam, aliam nõ ſuſtinuit, niſi mortem triduanam: Unde *Volckelius l. c.* quærit, Mortis triduanæ, & talis quidem, quam infinita felicitas & gloria fuit conſecuta, ad mortem æternam quæ proportio? ℞. Proportio hæc non eſt æſtimanda ex ſubſtantia mali, quod ſuffert iñocens, ſed ex quantitate ejus ſeu valore. *Vid. quæ reſpondeimus §. præced.*

Quomodo Chriſtus pro nobis ſuſtinuit pœnam æternam?

Valore, non quantitate.

133. Hactenus de modo infligendi pœnas: de earundem executione ut etiam aliquid dicamus, videtur operæpretium eſſe. Supponimus autem hic, tanquam conceſſum, jus pœnas exequendi competere

Majeſtati: ſive poſtmodum illa ſit divina, ſive humana: (quæ autem hic dubia poſſent occurrere, *videantur apud. Grot. l. 2. de Jur. Bell. & Pac. c. 21. n. 3. & 4.*) Hoc ſolum quæramus, *An Majeſtas ſubditorum conſcientias tantâ neceſſitate adſtringere poſſit, ut, ſi deliquiſſent, ipſimet ad ſubeundam pœnam, non expectata judicis ſententiâ non accuſati, ultrò venirent, & pœnæ executionem contra ſemetipſos ſuſciperent? Vid. Arriaga, tom. 2. in Thomæ 1. 2æ. diſp. 21. ſect. 5. & ſubſect. 3. n. 49. Gregor. de Valent. l. c. diſp. 7. quæſt. 5. puncto 6. pag. 962. Ludovicus Molina de Juſt. & Jur. Tom. 1. tract. 95. n. 14. Ludovicus Carbo tract. de Legibus l. 8. diſp. 7. 8. & 9.* Quoniam autem quæſtio hæc duplex eſt, cujus prima pars reſpicit *ſui accuſationem*; poſterior *delicti ultroneam executionem in ſe*: putamus, ad primam reſpondendum eſſe, *negativè*: Ad poſteriorem autem quæſtionem ut reſpondeamus, neceſſe ut pœnarum prius genera diſtinguantur, pro quorum diverſitate diverſimodè etiam reſpondendum erit. I. *Sunt quædam pœnæ, quæ privant delinquentes bonis, quæ poſſidemus beneficio Dei & naturæ*, v. g. vita, membra corporis. Si igitur quis commiſiſſet homicidium doloſum, cujus pœna eſt mors, quam ut quis ſibi ipſi inferat juſſu etiam Magiſtratus, non tenetur juſſui obedire, niſi ſolùm *paſſivè*: quia novit, ſe non

An quis ſe ipſum teneatur accuſare?

Item: Pœnam ipſe ipſe exequi

non eſſe vitæ ſuæ dominum: proinde ipſe quoque Magiſtratus, tale quid jubens, peccat. *Vid. Lipſius in Manuduct. ad Stoic. Philoſoph. l. 3. Diſſ. 23.* Nemo itaque excuſabit, aut probabit *Batavorum* mandatum, quo præfectis navium injungitur, ut potius, ſi in prælio navali hoſte ſuperiores eſſe non posſint, antequam ipſi & naves in poteſtatem hoſtis vivi veniãt, qui poſt iis uteretur contra ſe, navem ipſam cum omnibus militibus pulvere ignito perderent. Nam nulla ſpecies *αὐτοχειρίας* licita, quicquid alii dicant. *Genera pœnarum ſunt diſtinguenda. I.*

134. II. *Sunt quædam pœnæ, quæ famam lædunt*, quæ inter bona, à vita ſecundum eſt, ita ut vulgò dicatur, vitam & famam pari paſſu ambulare, non quod ſicut nullus vitæ ſuæ dominus, ita nullus quoque aliquid dominii in famam ſuam habet. Etenim homo ſibi famam dat & parat, vitam & mores ſuos bonis probando. Fama enim bona exiſtimatio eſt, quam integritate vitæ & moribus inculpatis apud alios nobis comparamus. *Vid. Corollar. 2. noſtræ diſput. Politicæ de Reipublicæ definitione & fine.* Si itaque quis peccaverit clam, quæritur Magiſtratus an illum ita obligare poſſit, ut paratus ad pœnam ſubeundam ultrò veniat, delictumque judici indicans ſeipſum prodat, gnarus, ex delicto manifeſtato ſibi infamiam irrogatum iri, aut famam ſaltem periclitari: ℞. *affirmativè*, *II.*

1. quia

1. quia in famam ſuam dominium habet quilibet. 2. quia Magiſtratui, tale quid præcipienti & obliganti, ſine peccato parere poteſt. Hoc tamen à Magiſtratu facilè fieri non debere, ut ita conſcientias excruciet, & tàm difficili obligatione gravet: cum naturali quaſi inclinatione quilibet conetur famam ſuam conſervare; cumprimis, ſi adhuc delictum nemini, niſi perpetranti, notum ſit.

III. 135. III: *Sunt pœnæ, quæ reſpiciunt facultates, ad vitam degendam neceſſarias: & quas privatus jure acquiſiti dominii poſſidet*: in quas facultates, ſicuti ex multis cauſis, alii jus naſcitur; ita in eaſdem Magiſtratui jus fieri poteſt ex delicto. An hinc delinquens non accuſatus, aut Judicis ſententiâ damnatus, ſtatim bona ſua ultrò fiſco offeret, & propria bona poſſidere deſinat? ℞. Niſi ſeveriſſimo à Majeſtate mandato cautum ſit, ne quis ab eo tempore, quo deliquit, bona ſua diutius poſſideat, negativam defendemus, ſtatuemusq;, reum ſalvâ conſcientiâ tàm diu bona ſua poſſe poſſidere, quàmdiu non eſt, qui ea repetit & fiſco adjudicat. Quod ſi verò, *ſeveriſſimo mandato* cautum, uti diximus, cum reus ſine peccato parere queat, pareat, ne non parendo iterum peccet. Sed & hic Magiſtratus caveat, ne gravando ita conſcientias, ipſe videatur peccare, injungendo, ut homo ſibi ſit inimicus, & qui ſibi nō deliquit, ſe puniat.

136. IV.

136. IV. *Sunt pœnæ, quæ reſpiciunt bona, quæ non poſſidemus jure dominii, ut propria, ſed ut beneficia à Superiore certâ ſub conditione conceſſa*, v.g. ſit conditio, abſtine ab hoc aut illo vitio: ſi Doctori beneficium aut etiam officium concedatur eâ lege, ut ſingulis diebus per duas horas publicè doceat, ille verò non ſolùm rarò, ſed etiam vix unâ horâ doceret, deberetne citra condemnationem, aut etiam ſententiam judicis declaratoriam, ipſe ultro beneficio & officio renunciare, atque ſic ſeipſum punire: cum & hoc citra peccatum fieri poſſet? ℞. Comunis opinio tenet, eum ultrô renunciare debere, non expectata ſententia, quia hæc bona non ſunt propria, ſed communia. Verum de tota hac pœnarum executione videantur benè multa, & ſcitu digniſſima, præter allegatos autores §. 31. *ap. Dn. D. Petr. Muſ. diſp.* 3. *de Leg. Civ. Sanderſ. l. c. p.* 326. *& ſeqq.* IV.

137. Quoniam verò Legum, & ab iis dependentium pœnarum Executio facilè Magiſtratum in odium Populi inducere poteſt, niſi ſatis prudenter peragatur, utpote quando Magiſtratus in iis exigendis nimius eſt, qui non punit quo oportet *tempore, loco, & modo*, qui in puniendis nocentibus eſt *crudelis*: non abs re erit, ſi quædam quaſi regulæ obſerventur, quas breviter comprehendit *Boxhornius in Politicis*: quarum 1. *Modi in infligendis pœnis obſervandi.*

Præſtare

Præſtare, pœnam legibus definiri, quam arbitrio Magiſtratus relinqui, ita enim fiet, ut non ex odio aliquo, aut affectu privato, ſed præſcripto legis pœnam exercuiſſe videatur. 2. Graviores pœnæ per leges indicentur, quàm, poſtquam peccatum eſt, exigantur. Ita enim accuratius leges obſervabuntur, quando major ex iis terror erit injectus. 3. Circumſtantiæ temporum, rerum, ordinis, ætatis, aliaque eiusmodi, ob quæ quis immunis à pœna, aut mitius puniendus videri poſſit, non inſerantur legibus, ſed arbitrio, judicioque Magiſtratus relinquantur. Sic enim minus peccabitur, & quisq; teneri ſeſe ad legis obſervationem, aut ad pœnam exiſtimabit.

138. Ceſſet 4. ſubinde potius pœna, quam, ſi exacta, redundatura ſit in eos, qui exigunt, neque interim credendum eſt, pœnâ legis ceſſante, legem etiam ceſſare. 5. Ne à quibusvis Magiſtratibus inferioribus remiſſâ pœnâ, diſſolvatur autoritas legum, utile fuerit, ita ſtatuere, ut remittere pœnam non ſit inferiorum Magiſtratuum, ſed tantum ſupremorum, 6. Pœnæ omnes, crimina imitentur, ſic enim criminum gravior pœna non eſt futura, & quod æquitas imprimis requirit, proportio ſit inter delictum & ſupplicium. 7. Gravior tamen ſingulari delicto ſit pœna ubi, tale offertur, quod facile

facilè poſſit perpetrari, & facilè perpetraturi alii metuantur, niſi graviſſimæ in id pœnæ conſtitutæ ſint. Quæ enim aliâ ratione avertere non poſſumus delicta, quorumque aliàs fœcunda & noxia ſeges ſit futura, averti debet magnitudine ſuppliciorum; neq; enim hic pœna comparanda cum ſingulari delicto, ſed cum pluribus illius delicti futuris exemplis, niſi ſeveriſſimè puniatur. 8, Ubi à ſummis Viris commiſſum eſt crimen, ſi ſupplicium exigatur, metuendi veniunt motus, ideoque conſultum eſt, inter imperii arcana, pœnam, quæ ſpeciem honoris habet, excogitare. 9. Ubi à pluribus comiſſum flagitium eſt, nec agnoſci, nec deprehendi poſſunt autores, nec flagitium manere debet impunitum; paucis forte lectis, pœna imponatur; nam ſupplicium in paucos validum eſt ad terrorem cæterorum; multorum ſupplicium clades eſt, non medicina, ut *German. ap. Tac. l. 1. Ann. c. 49. n. 3.* loquitur.

139. 10. Ubi à multitudine peccatum eſt, & deprehendi poſſunt autores, parcendum multitudini, non autoribus, quippe, ne pœna ſit latrociniũ, optimè, plures ubi peccavére in uno, aut paucis autoribus puniuntur, dum & iidem ſuum delictum eſſe intelligunt, propter quod unus, aut pauci puniuntur, & ideò unius aut paucorum ſupplicio corriguntur, licet pœnæ exempti, tamen

pœni-

pœnitentiæ ſervati. 11. Prudentiæ etiam eſt, ad præveniendos graviores motus, ſi ita ſeſe inter flagitioſos ſubinde gerant Magiſtratus, ut videri potius poſſint inveniſſe bonos, qui mali ſunt, quam eos, qui peccarunt, pœnis bonos facere voluiſſe. 12. Sed ſæpiùs quoque pœnitentiâ oportet eſſe contentum. Neque enim pœnis damnandum ſemper, quod ipſe, qui peccavit, in ſeſe damnavit. 13. Omnia ſcire ſubinde oportet, ſed non omnia exequi: quia, quod ſcitur, corrigi ſemper non poteſt, & proinde debet tolerari: *Tac. in Agric. c.* 19. *n.* 4. 14. Is qui pœnas imponit, cavere debet, ne iis videatur delectari, ne perſonam, quam flagitium, potius punire videatur, ne etiam veterum ſuppliciorum, auctis, aut novis additis, atrocitatem intendat. Peccavit in hoc Domitianus, qui imperavit pœnas, & tanquam libenter imperaret, eas oculis ſuis ipſe ſpectavit, quo nomine effugere non potuit labem crudelitatis. 15. Lento remedio pœnarum opus eſt contra mala, quæ jam omninò ſunt inveterata & fœcunda, non ut ſtatim deſinant, ſed ne ulterius progrediantur, mox ut decreſcant, tandem ut tota extirpentur. Nam naturâ, *ut Tacitus loquitur in Agric. c.* 3. *n.* 1. infirmitatis humanæ tardiora ſunt remedia, quàm mala.

140. Ubi

140. 16. Ubi ab omnibus peccatum eſt, unius ſaltem aut alterius, illuſtrioris inter cæteros, ſupplicio contentus eſſe poteſt Magiſtratus. Quanto enim quis ſplendidior majori mole prociderit, tanto in cæteros diſpergitur plus terroris. Non enim debent Leges aranearum telis eſſe ſimiles; quas beſtiæ majores perrumpant, exiles autem muſcæ iis irretiantur, ſecundùm illud: *Ille crucem ſceleris pretium fert, hic diadema.* Id quod etiam notat *Gell. l.* 11. *N. A. cap.* 18. ubi inquit: *Fures privatorum furtorum in nervo atq; compedibus ætatem agunt; fures publici in auro atq; purpura. Vid. Val. Winth. in Parth. Litig. l.* 1. *cap.* 14. *n.* 1. Ultimò, noxii ſupplicio, non lapſi afficiantur.

141. Cum leges non ſolùm requirant obedientiam, ſed etiam, eâ negatâ, expoſcant pœnæ irrogationem; neceſſe eſt, ut iſtæ *claræ* ſint, *breves, ſine proœmio*, ac *perſpicuæ*: quâ perſpicuitate cum aliquàndo deſtituantur, vel ob ambiguitatem verborum, vel ſimplicium, vel conjunctorum: (qualis ambiguitas occurrit in inſtitutione heredis in teſtamento Comitis cujusdam in Gallia, quâ eluſit *Jeſuitarum* conatum: Ille enim jamjam moriturus, ne quid vanitatum Pontificiarum, (*Miſſas* vocant) ſalutem animæ, uti ſomniant procurantium, exſequiis ſuis deeſſet,

 filio

filio autem, quem habebat, ſua largitione nihil detraheret, callido conſilio Jeſuitarum ardori habendi ita ſatisfecit. In teſtamẽto ultimam ſuam voluntatem his verbis declaravit: *Conſtituo vos hæredes omniũ meorum bonorum, ita ut filio meo detis, quæ vultis.* Hæc verò oratio duplicem gerit ſenſum, unũ pro Jeſuitis, ſi per Ellipſin addas ultimis verbis, *dare filio*: alterum contra Jeſuitas pro filio, ſi addas, *vos habere*, ſeu quod idem eſt, *quæ vos deſideratis.* Simili ambiguitate deceptus Legatus Gallicanus, ad Carol. V. miſſus, cui poſt mortem Franciſci Sfortiæ Ducatum Mediolanenſem petenti Regis ſui nomine, Carolus V. reſpondit: *Sibi idem placere, quod fratri ſuo Regi Galliæ placere videret.* Quibus verbis imprudens Aulicus Carolum aſſentiri putat: idq; ad Regem ſuum ſtatim perſcribit. At Carolus Ducatum Mediolanenſem ſibi non minus, quàm Gallo placere, ideoque à ſe non minore ſtudio retinendum, quàm à Gallo expeteretur, ſentiebat. *Chytræ. in Sax. Bernegg. in diſp. Hiſtorico-Politica de Aul. Princ. th. 16. Beſold. l. 2. Pol. c. 8. p. 807. Zinckgref. in Apophth. Germ. pt. 1. p. m. 101.* Aut *phraſeos inſolentiam*, cum verba admodùm ſint *antiqua, peregrina, obſcura*, & à vulgi uſu remota, ut quid ſignificent, ignoretur. Vel *ob legis mentem & ſententiam dubiam*, ut in facti applicatione opus ſit vel reſtrictione, vel extenſione: Vel ob legis

ſeveri-

ſeveritatem & non omnimodam æquitatem: neceſſe eſt ut illam interpretemur, quæ *interpretatio eſt Prudentia, leges ad factum dextrè accommodandi per explicationem veri ſenſus, quem lex habet*: & eſt *authenticè* ſolum penes illum, qui legem quoque tulit, ſive *originaliter* ſive tanquam *ſucceſſor confirmavit* & approbavit: fieri enim poteſt, ut ille legem poſſit interpretari, à quo originaliter non fuit lata, ſed vel ab ejus anteceſſoribus, vel etiam aliunde ſit deſumpta, ab hoc ſolum approbata, atque ſic ſancita. *Doctrinaliter* verò ſive *probabiliter* penes JCtos, & tum reverà *prudentia eſt*, ſecus ac in Principe, cum illa interpretatio non neceſſariò in principe ſit opus prudentiæ, utpote quæ ex ſuprema ejus poteſtate ac *voluntate* dependet.

Interpretatio Legis, vel eſt Authentica, vel Doctrinalis.

142. Hinc interpretatio triplex eſſe dicitur, 1. *verborum*, quæ poteſt dici *declarativa*, ſeu explicativa, 2. *Mentis*, *Reſtrictiva* dicetur, & 3. *Æquitatis*, quæ eſt *Authentica*, quæ propriè pertinet ad *Nomotheticam*. Priores duæ interpretationes poſſunt dici *ſcientiæ*: ultima verò *Poteſtatis* eſſe, quæ etiam ſoli ſummæ Poteſtati in Republica competit: quia illa non tàm explanatio & declaratio eſt veteris legis, quàm novi & æquioris in locum illius ſubſtitutio.

Interpretatio Declarativa: Reſtrictiva: Æquitatis.

143. Scholaſtici paulo aliter deſcribunt,

quando dicunt, aliquam interpretationem eſſe *Authenticam*, quæ fit per aliam legem latam, ad declarandam priorem: quæ §. præced. dicta fuit *Æquitatis*, ſive Poteſtatis. 2. Aliquam *Uſualem*, quæ per conſuetudinem eſt introducta: ex qua ratione etiam conſuetudo dicitur Optima Legum interpres, *l.* 37. *ff. de LL.* Aliquam eſſe *Doctrinalem*, quam ante diximus *Scientiæ* eſſe. *Vid. Arriaga tom.* 2. *in* 1. 2*æ. Thom. diſp.* 26. *ſect.* 1. *item integer tractatus de Interpretatione Legum Excellent. Dn. D. Eichelii, cap.* 28. Addunt alii interpretationem per *Extenſionem* ratione verborum, & aliam per rationem: quam tamen ipſe *Arriaga* rejicit, *l. c.*

Interpretatio Uſualis.

Interpretatio per Extenſionem.

144. Quando autem ſupra docuimus, *Poteſtatis interpretationem* ſoli ſupremæ poteſtati competere, non inferiori Magiſtratui aut Judici, utpote cujus eſt non *de* Legibus, ſed *ſecundum* eas judicare: *Canon.* 3. *diſtinct.* 4. obſtare tamen videtur, quod paſſim judices jubeantur leges benignè interpretari. *l.* 18. *de LL.* item præcipuam juſtitiæ ac æquitatis, quàm ſtricti juris habendam eſſe rationem *l.* 8. *Cod. de judiciis.* Puto reſponderi poſſe, judici delegato & inferiori jus illud benignius interpretandi legem competere beneficio illius, qui in Republica habet ſupremam poteſtatem, non jure proprio,

Vid.

Vid. noſtra brevis commentatio de judice, §. 60. aliter *ad l.* 8. *C. de judic.* reſpondet *Sichardus in Cod.pag.mihi* 111. Item *Paulus Buſius in Pandect. pag. mihi XI. Libenthal. Exercit. Politic.* 12. *quæſt.*7. *Verſmann de Senatoribus, p.* 59.60.

145. Poteſt autem prudens legum interpretatio rectè inſtitui, ſi ſequentia obſerventur: 1. ſi ſervetur *verborum uſu recepta proprietas*, quantum ſine abſurdo fieri poteſt. 2. *Rei*, de qua agitur, ſpectanda *materia*, *circumſtantia*, & totius legis contextus, *l.* 24. *ff. de LL.* 3. Inſpiciendus *finis legislatoris*, quem is plerumque legis initio innuit. 4. penſanda *legis ratio*, quæ etſi non ſemper adæquet materiam præcepti, rei tamen debet quadrare, ut non putetur illud præceptum, in quod non cadit ratio legis. 5. Inſtituenda *Legum variarum comparatio*; ſic enim una lex alteram vel authenticè, vel ſaltem probabiliter interpretatur. Si tamen leges inter ſe pugnare videantur, conciliandæ erunt per interpretationem etiam impropriam. 6. *habenda ratio praxeos* ac *conſuetudinis*, quæ, uti ſæpè dictum, optima Legum interpres, *c.*8. *extr. de Conſuetud, L.*33. *ff. de LL.* 7. Adducenda *præſumtio* de *Legislatoris prudentia*, & bonitate, quod nimirum nihil injuſtum, inhoneſtum, inutile, aut nimis durum voluerit præcipere, nec veteres leges (niſi ſignatè hoc exprimat,) intenderit ab-

Quæ in Interpretatione obſervanda.

rogare. Cum juris mutatio, tanquam Reipublicæ noxia, ſit odioſa, ac proinde, quantum poteſt, vitanda. *Arniſa in doctrina Pol.l.1.c.17.*

Quæſtio. 146. Coronidis loco hic *quæri* poteſt, *num Multitudo Legum* (in Corpore civili reperiuntur 13752.) *expediat Reipublicæ? Plato 3. de LL.* ait: Signum malæ conſtitutæ Reipublicæ eſſe, ſi in ea multi inveniantur JCti, quippe qui indicant, multitudinem litium ex multitudine legum natarum. Et hâc antiqui Germani multum laborarunt, *Winther in Parthen. Litig. l.1. cap.3. n.23.*

Lis genuit leges, legis lis filia, vivi
Non ſine lite ſolet, non ſine lege poteſt.

Multi enim *Medici, teſte Scip. Amirato l. 4. diſcurſ. in Tacit. diſc.7.* & Juriſconſulti multi æq; ſunt malæ reipublicæ ſignum: hi, quod litigioſos; illi, quod guloſos & intemperantes homines deſignent. *Vid. Arniſæus l. doctr. Polit. cap.17.* qui graviter contra Legulejos perorat. Verùm *Valentinus Winther in Parthenio Litigioſo l.2.cap.5.n.17.* rectè docet, non omnem multitudinem legum Reipublicæ nocere, ſed malitiam & ingenium *interpretum.* Recte enim reſpondetur, ſi quis quærat, cur hodie tot ſanciantur leges? ex quadam ædium Argentorati inſcriptione:

Quæris cur creſcãt numeroſa volumina legũ?
Eſt ratio, creſcit magnus in orbe dolus.

FINIS.

INDEX
Rerum & Verborum,

A.

Actiones multæ ſecundum virtutem, ſuſcipiuntur ſine ulla obligatione. p. 266. §. 63.

In actu omni conſiderari poſſunt ſubſtantia actus & circumſtantiæ. p. 269. §. 69.

Actus neceſſarii quoad genus & ſpeciem legi civili non ſubjacent. p. 270. §. 70.

Actus virtutis poſſunt conſiderari dupliciter. p. 272. §. 73.

Actio elicita, imperata. p. 299. §. 109.

Ex actib⁹ duob⁹ phyſicis quãdo fiat un⁹ moralis? p. 300. 111.

Accuſare ſe ipſum an quis teneatur? p. 316.

Ætas matura quæ? p. 12. §. 7.

Ætatis humanæ diviſio. p. 213. §. 78. 79.

Æquitas p. 256. §. 50.

Arcana Reip. detegentibus lingua apud Ægyptios abſciſſa p. 58. §. 35.

Arma ſine conſiliis parum proficiunt p. 4. §. 2.

Aſſentatio fugienda p. 41. §. 26.

B.

Brevioris ſtaturæ homines non tot vitiis obnoxii quot proceri, & quænam illa? p. 17. §. 10.

Brevitas Senatorem & Oratorem decet. p. 168. §. 50.

C.

Calliſthenes ob intempeſtivam dicendi libertatem exoſus Alexandro p. 50. §. 31.
Cambyſis Conſiliarii veritatis minus ſtudioſi p. 37. §. 24.
Cãcellariatus qualis dignitas olim, qualis hodie? p. 83. §. 60
Cariolani in conſulendo libertas p. 48. 49. §. 30.
Cenſoris officium p. 159. §. 43.
Cenſus Senatorius, Equeſtris p. 161. §. 44
Ex Cenſu Senatores lecti p. 161. §. 44.
Chriſtus mortem æternam pro nobis ſuſtinuit valore, non quantitate p. 315. §. 132.
Circumſtantiæ non obſtant proportioni arithmeticæ. p. 206. §. 120.
Clariſſimi titulus qualis? p. 123. §. 7.
Clericus non poteſt ſe implicare feudis, accipi fidejuſſor, eſſe judex, procurator, tabellio, cauponas intrare p. 112. §. 3.
Clerici, quando ſecularibus abſtinere non teneantur. p. 115.
Cogendi vis duplex, intrinſeca, extrinſeca p. 227. §. 8.
Comitia quid? p. 146. §. 28. *calata, curiata, centuriata, tributa* p. 147. 148. §. 30.
Inter Collegas qualis imparitas? an juris & poteſtatis? N. *an Ordinis?* A. p. 187. §. 60.
Conſiliarius quis dicatur? p. 3. §. 1. *dicuntur illi pars corporis, amici, parentes Principum, Principes ſalutis.* p. 3. §. 1. *ſunt neceſſarii Principi.* p. 3. §. 2. *Quid in contrarium afferatur.* p. 5. §. 3. *non quivis in eum eligendus.* pag. 5. §. 3. *ab iis non totus pendeat Princeps.* pag. 6. §. 3. *augent illi autoritatem principis.* pag. 7. §. 4. *ejus definitio.* p. 8. §. 5. *noſcat Rempubl.* p. 9. §. 5. *ejus virtutes aliæ acquiſitæ, aliæ inſitæ, inter inſitas,*

ingenium bonũ, alacritas. p.10. §.6. virtutes naturales corporis quæ requirantur in eo p.14. §. 9. p.17. §.11. quæ virtutes acquiſitæ? p.20. & ſeqq. acutiores ſuo acumine ſæpè nocent Reip. p.14. §. 8. ſit apertus, p.44. §. 28. ſuadeat liberè, p. 47. §.30. ſed modeſtè p.49. §.31. quomodo pericula ex libertate conſulendi naſci ſolita, evitare queat? p.50. §.31. Sententiam ſuã non obtrudat p. 54. §.33. aliorum vota non ſecus ac ſua habeat, niſi obſtet ratio grandis. p. 55. §. 33. ſit ſobrius ib. §. 34. taciturnus. p.57. §.38. quæ propalare poſſit ſalva integritate in conſeſſu tractata publico? p. 59. §. 35. non ſit captator munerum. p. 59. §. 36. ſit juſtus. p. 63. §.37. intercedere poteſt rigori juſtitiæ p. 63. §. 37. ſit fortis, conſtans p.64. §.38. prudens. p.65. §. 39. ſenex an juvenis? p.66. §.40. p. 69. §.44. ætas ejus ſit media. p. 70. §. 48. dives ſit. p. 71. §. 74. nobilis p. 74. §. 49. non peregrinus. p. 76. §.51. ſed indigena p. 77. §.51. fama clarus p.78. §. 53. nobilis aut virtuoſus ibi. ſuadeat alacriter, cum ſalutari tamẽ mora p.81. §.58. ad quæ reſpicere debeat? ib. qualis poſt conſultationem eſſe debeat? p. 82. §.59. novorum incommoda. p. 90. §. 2. in ejus vocatione quæ notanda? p.78. §.52. Ei quæ ante, quæ poſt conſultationem neceſſaria. p. 80. §. 56. & ſeqq. eorum diviſio. p. 82.83. 84.§.60.61.62. eorum præmia, privilegia. 84.§ 63.p.85.§.64. Quos Anteceſſor habuit an novus Princeps mutare & dimittere debeat? p.89. an diverſæ à Principe Religionis eligendus? p.91. an pœna afficiendus ſi conſilium ſiniſtrum ſortitum ſit eventum? p.93. bonus quis? p. 96. §.3. malus quis? 97. §. 4. bono ſub malo Principe quid conducat? p. 99. §. 8. non requiſitus an debeat conſulere? p. 100. num viva voce an ſcripto

an ſcripto ſententiam rectius proferat? p. 105. *an removendus quod populo exoſus?* p. 107. *an in Senatū venire debeat, ſi ſcit. aliquid tractatum iri cui ſalva conſcientia aſſentiri non poſſit* p. 110.
Conſiliorum contemtus ſignum Reip. interituræ p. 6. §. 3.
Ad Conſilia non adhibendi ſenes decrepiti. p. 70. §. 45.
Conſultationibus an Princeps intereſſe debeat? p. 102.
Conſilium legis effectus non eſt. p. 280. §. 83.
Conſuetudinis requiſita. p. 254. §. 46. *in ſcripturam redigi poteſt, ut non fiat lex.* p. 254. §. 47. *eſt bona, mala, rationabilis, irrationabilis.* p. 264. §. 60.
Culpa quid? p. 298. §. 108. *eſt in actione libera* p. 301. §. 112. *unde cenſeatur gravior aut levior?* p. 301. §. 113. *quomodo in cauſa morali?* p. 303. §. 120.

D.

Ad Decuriatū minor 25. annis non admittitur. p. 218. §. 84.
Deliberationum publicarum res quænam? p. 131. §. 14.
Sub deliberationem quæ non cadant? p. 134. §. 17. *quæ cadant?* p. 135. §. 18.
Deliberare omnes de omnibus, vel de quibusdam democraticum p. 151. §. 35.
Difficultas à rectis conſiliis dandis deterrere non debet. p. 40. §. 25.
Diſpenſatio quomodo in lege naturali & morali locum habeat? p. 238. §. 27.
Divites amantiores Reip. quam pauperes. p. 71. §. 47.
Divitiæ opinionem honeſti & autoritatem poſſeſſoribus conciliant. p. 209. *ſunt & noxiæ* p. 210. §. 77.

Ebrietatis

E.

Ebrietatis incommoda p. 55. §. 34.
Eclipſium aliorumq́ prodigiorum cauſas conſiliarius ſciat. p. 28. §. 18.
In Electorum filiis quæ linguæ requirantur? p. 23. §. 14.
Eloquentiæ vis. p. 24. §. 15. *ſine ordine garrulitas eſt* p. 25. §. 16.
Ad Electoratum 18. *annorum juvenes admittuntur.* p. 69. §. 43.
Equeſtris ordo gradus ad Senatorium p. 158. §. 41.
Erudito ſine virtute noxia Reip. p. 22. §. 13. p. 201. §. 71.
Etymologia nominis, & definitio nominis non ſunt ubiq; idem p. 119. §. 5.

F.

Formæ indicia fallacia. p. 19. §. 12.
Friderici Ænobarbi Symbolum p. 46. §. 29.

G.

Γερουσία apud Lacedæmonios p. 216. §. 82.

H.

Hiſtoriarum cognitionis quanta utilitas? p. 26. §. 17.
Homo longus raro prudens & ſapiens p. 16. §. 10.
Humili, cum ſurgit in altum aſperius nihil p. 181. §. 56.

I.

Imperium proſperum donec recta conſilia valent p. 4. §. 2.
Ingeniorum excellentium natura p. 12. §. 7. *incommodum* p. 13. §. 8. *meliora illis mediocria* p. 14. §. 8.

Indiffe

Indifferentia multa habentur, quæ in ſe non ſunt talia. p. 274.
Inſidiæ quænam minimè vitari poßint p. 44. §. 28.
Intentio directa vel indirecta p. 303. §. 116
Judices à muneribus alienos maximè conſtituit Baſilius Imp. 61. §. 36. *δωροφάγες ordine movit Jul. Cæſ.* p. 62. §. 36. *iniquos quomodo punierit Cambyſes & Archi-epiſcopus Colonienſis* p. 62. §. 36. *affectibus dediti rectè judicare nequeunt.* p. 63. §. 37.
Juramentum quo apud Rom. in conſiliarios lecti adſtringebantur p. 35. §. 23. *Senatorium* p. 182.
Juris naturæ quæ ſunt, à lege civili repeti poſſunt. p. 269. §. 68.
Jus gentium quid? p. 248. *quomodo dicatur primævum?* p. 246. §. 37. *differat à jure naturæ?* p. 246. §. 38. *lex dicatur?* p. 247. §. 38. *conſtituatur & à quibus?* p. 249. §. 41. *civile.* p. 250. §. 42. *feudale dicitur conſuetudinarum* p. 255. §. 48. *gentium quod habeat objectum* p. 266. §. 64.
Juſtitia univerſalis ut pertineat ad legẽ civilẽ? p. 271. §. 71.
Juvenis an Conſiliarius eſſe poßit? p. 66. §. 40. p. 69. §. 44. *an Senator* p. 121. §. 6. *non eſt prudens, ejus mores* p. 62. §. 40. 41. *aliquando ſenes vincit virtutibus.* p. 68. §. 43. *cur arceatur à dignitatibus & Rep.* p. 214. §. 80. *quomodo admittendus ad Senatum?* p. 218. §. 85.

L.

Lacedæmoniorum leges non ſcriptæ p. 252. §. 45.
Legis etymologia pag. 223. §. 2. *homonymia. pag.* 224. §. 3. *Synonymia* p 225. §. 4. *definitio* 225. §. 5. 228. §. 10. 226. §. 6. 7. *Quomodo à conſiliis, adhortationibus, diſtinguatur*

ſtinguatur p. 228. §. 11. à Magiſtratu proprie dicto lata an vere lex? pag. 230. §. 13. ejus forma quæ pag. 232. alia divina, alia humana, pag. 233. §. 19. naturalis quid? p. 234. §. 20. Quem obliget? p. 235. §. 22. §. 23. Quando p. 238. §. 23. 236. §. 24. cur eam Deus peculiariter promulgarit? p. 237. §. 26. moralis. pag. 237. §. 26. poſitivam quid conſtituat. p. 243. §. 31. poſitivæ diviſio. p. 243. 244. humanæ diviſio. p. 245. §. 35. civilis cui opponatur? p. 251. §. 43. 44. de ejus eſſentia an ſcriptura? p. 252. §. 45. à conſuetudine ut differat p. 253. §. 46. variæ diviſiones. p. 258. bonitas de ejus natura non eſt. p. 259. §. 54. ſeqq. naturalis objectum quod? p. 265. §. 62. p. 266. §. 64. civilis objectum quod? p. 268. 269. §. 68. civilis naturalis eſſe poteſt vicaria. p. 273. §. 74. Virtutes legis p. 275. §. 76. vis coactiva, directiva p. 285. §. 91. civilis obligatio. p. 285. §. 92. quos & quando obliget? p. 291. 292. §. 98. 99. naturalis immutabilis, civilis mutabilis. p. 293. 294. §. 101. an ceſſet ratione ceſſante? p. 294. §. 101. 102. transgreſſionem quis intendit directè. indirectè p. 304. 305. §. 117. 118.

M.

A Majeſtate quid eſt mediatè vel immediatè. p. 230. §. 13.

Materia, cauſa mali p. 16. §. 10.

Melancholici ad conſilia minus apti. p. 11. §. 7.

Minor 25. annis quibus caſibus ad Reip. adminiſtrationē admittendus. p. 219.

Monſtroſum corpus animi pravi index p. 17. §. 11.

Mors Chriſti, quomodo dicatur rectè pœna ne pugnet cum gratuita remiſſione peccatorum. p. 312. 313. §. 139.

De Morte

De Morte civis judicare cujus nam? p. 131. §. 15.
Munera quantum poſſint? p. 60. §. 36.

N.

Nobilitatis diviſio. p. 75. §. 50. p. 207.
Nobilis & virtutis amans præſumitur à nobili natus pag. 203. §. 73.
Nobilium filii ſæpe degeneres p. 205. § 74.
Nobilitas ſola in conferendis dignitatibus non reſpicienda. p. 208. §. 75.
Nobilis an mitius ignobili puniendus? p. 206. §. 119.
Nomophylaces quinam? p. 151. §. 34.

O.

Obligatio variè ſe habet in præceptis affirmativis & negativis p. 239. §. 28. *eſt duplex.* 282. §. 86. *legis naturæ depẽdet ab objecto, nõ voluntate Dei.* p. 282. §. 87. *legis* Gentiũ p. 283. §. 89. *dependet à volũtate Majeſtatis.* p. 284. §. 90.
Obligant quædam ſemper, quædam ad ſemper. p. 239. §. 28.
Oratio Muſtaffi ad Mahometem, qua ab inſano in Irenem *amore eum dehortatur.* p. 51. §. 32.

P.

Patres, Patricii unde dicti? p. 154. §. 38.
Paupertatis contemptus. p. 209. *incommoda* p. 71. §. 47.
Pauperes duplices p. 211. *à Senatu aut Reip. adminiſtratione non excludendi* p. 210. §. 77. *quomodo conſiliarii eſſe queant?* p. 73. §. 48.
Patriciatus varius. p. 122.
Peccare cur facilè? p. 40. §. 25. *peccatũ originis* p. 298. §. 108

omiſſio-

omiſſionis quomodo de culpa participet? p. 299. §. 109.
Photinianorum error de ſatisfactione. p. 311. §. 127.
Philoſophia facere, non dicere docet p. 32. §. 19.
In Philoſophos inique nonnulli invehuntur p. 31. §. 18.
Plebis natura p. 143. §. 27.
In Pœnis infligendis habendus perſonarum reſpectus p. 308. §. 123.
Pœnam in ſe ipſum exequi an quis teneatur. p. 316.
Pœnarum genera diſtinguenda p. 317. in iis infligendis modi obſervandi p. 319. §. 137.
Pœnæ definitio. p. 295. §. 104. quomodo malum paſſionis. pag. 296. §. 105. damni, ſenſus. p. 296. §. 106. finis ſubjectum p. 297.
Præmia non ſunt Legis peculiaris virtus p. 279. §. 82.
Princeps ſit ſapiens. p. 5. §. 3. ſat eſt Prudens ſi eligere amicos, dijudicare & ſequi conſilia novit. p. 8. §. 4. ſi peccat privatim admonendus. p. 50. §. 31. an Reip. commodior bonus cum malis, an malus cum bonis conſiliariis? p. 95. 137. §. 21. bonus, malus, quis? p. 95. ſapientiſſimum Senatui præeſſe utrum præſtet, an ſtupidum prudentum Senatorum copia abundare. p. 138. ejus prudentia non excludit conſiliarios. p. 139 ſit prudens propter Senatum prudentem pag. 141. §. 24. conſilio carere nequit. p. 141. expers literarum Reip. peſtis. p. 200. vitæ non ſcholæ diſcat. pag. 201. §. 72. juxta leges vivat. p. 292. §. 98.
Probuli qui? p. 151. §. 34.
Promulgatio Legis ſit ſolennis & ſufficiens. p. 233. §. 17. 293. §. 100.
Promiſſio qua quis ſe pro alio obſtringit an ad mortem ſe extendere poſſit? p. 310. §. 126.

Prudentiæ cæterarumq; virtutum nexus. p. 34. §. 21. *eſt duplex ea.* p. 66. §. 39.
Pulchritudo muliebris fucata. p. 19. §. 12.

R.

Ratisbonæ in Curia inſcriptio memorabilis. p. 36. §. 23.
Reip. interituræ ſignum contemtus & neglectus conſiliorum p. 6. §. 3. p. 47. 48. §. 30. p. 172. §. 53. *partes quænam* p. 118. §. 2. *felix ea quam philoſophi regunt* p. 32. §. 19. *eſt ea totum per aggregationem, optime per & in partibus cognoſcitur* p. 117. §. 1. *ejus differentiæ unde* p. 119. §. 4.
Religio dupliciter habere ſe poteſt. p. 92. §. 2. *primum in Senatu* p. 133. §. 16. *Religioſi Secularibus negotiis ſe non immiſceant* p. 112. §. 2.
Retorſio & reconventio omni jure licita p. 194.

S.

Sacerdotes an conſulendi in rebus gravioribus polit. p. 111.
Satisfactione Chriſti ſtante & Dei juſtitia & miſericordia ſalvantur p. 314. §. 131.
Senatus etymologia p. 119. §. 5. *homonymia* p. 121. §. 7. *definitio* p. 126. §. 10. *differentia à Magiſtratu* p. 128. §. 11. *an habuerit jus ſanciendi legem* p. 128. §. 12. *autoritas, differentia* p. 130. §. 13. 14. *ejus autoritas inclinata* p. 132. *an in Rep. neceſſarius* p. 135. §. 19. §. 20. p. 140. §. 23. *prudens Principis autoritatem auget.* p. 142 §. 24. *Secretis non obeſt* p. 142. §. 24. *Principem ſublevat* p. 143. §. 26. *eſt neceſſarius in Democratia* p. 143. §. 27.
Ariſto-

Ariſtocratia. 144. §. 27. *Rep. mixta.* p. 145. *ut ſe habeat in Imp. Rom. Germ.* p. 145. *Democratia* p. 146. *Oligarchia.* p. 151. §. 35. *in eum quomodo lecti à Romulo* p. 154. §. 38. *Tatio* p. 155. §. 39. *Tarquinio Priſco. L. Junio Bruto & P. Val. Poblicola* p. 156. §. 40. *C. Sulla. Q. Pompejo* 157. §. 39. *ejus legendi officium penes Coſſ. ejectis Reg.* p. 160. *ex Magiſtratibus lectus* p. 146. §. 47. *ejus Princeps.* 165. §. 48. *in eo cur plures.* p. 182. *alius legitimus, alius indictus* p. 189. §. 62. *in eo habita ratio temporis & numeri.* p. 190. §. 63. *quomodo impediri potuerit?* p. 192.

Senatoris à Conſiliario differentia p. 100. §. 163. §. 45. *derivatio.* 120. §. 6. *definitio* 126. §. 10. *ſtrictè dictus quis?* p. 123. §. 8. *eſt nomen ordinis.* p. 124. §. 8. *veteres qui?* p. 124. §. 9. *jure novo.* p. 125. *in eorũ lectione quid obſervatum.* p. 157. §. 41. *& ſeqq. avarus quantũm alum.* p. 158. §. 42. *quid eum proprie conſtituat?* p. 163. §. 45. *in Senatum à Cenſore legendus ordinariè* p. 165. §. 48. *de alia re, quàm de qua à Coſ. relatum dicere poterat.* p. 168. §. 50. *votum ejus an collega impugnare queat?* p. 180. §. 56. *an alij in alium jus?* p. 184. *in Senatum venire cogebantur.* p. 194. §. 67. *nolentium venire cõrecitio Reip. utilis.* p. 196. §. 68. 197. §. 69. *virtutes, eruditio.* p. 198. §. 70. *ſit nobilis, dives.* p. 203. §. 73. p. 208. §. 76. *non juvenis* p. 212. §. 78.

SCtum quid? p. 149. §. 32. *ad id quod Senatores requirebantur.* p. 190. §. 63. *eorum ſcribendorum ratio.* p. 193.

Senectus ſua & corpori & menti p. 8. §. 4.

Sententiæ uni cur non ſemper inhærendum? p. 65. §. 38.

Sententia dicendæ initium in Rep. Rom. *à* Coſſ. *& iis qui alios dignitate ante eunt.* p. 87. §. 2.
Senum vitia quæ? p. 68. §. 42. *privilegia* p. 215. §. 80.
Senaculum mulierum p. 127. §. 10.
Sexagenarios de ponte proverbium p. 70. §. 45.
Sigismundi. Imp. Symbolum. p. 46. §. 29.
Simulatio duplex, an omnis vitioſa! p. 45. 46. §. 29
Statura juſta p. 16. §. 10.

T.

Temperamentum in Conſiliario quale requiratur p. 14. §. 9. *eorum diverſitas.* p. 114. 115. §. 9.
In Teſtium paupertatem inquirendum. p. 72. §. 47.
Thesmothetarum collegium Athenis. p. 148. §. 31.
Tiberius diſſimulationem in ſe dilexit p. 46. §. 29.
Totum cognoſcitur partibus cognitis p. 117. §. 1.

V.

Valetudine adverſa perpetuo laborans ad conſilia minus aptus. p. 11. §. 7.
Veritas in aulis Principum rara p. 37. §. 24. *an ſemper dicenda* p. 42. §. 27.
Verum ne Principis conſiliarius ſequatur quid obſtare videatur p. 38. §. 25.
Verum ſcire ſibi & alteri quomodo differant p. 43. §. 27.
Virtus quomodo nulla à natura? p. 10. §. 6. *moralium ſemina in brutis* p. 22. §. 14.
Vita optima homini quæ? p. 33. §. 20.

Volun-

Voluntarium in culpa quale. eſt duplex, mediatum immediatum p.302. §. 114.
Vota an omniũ primò exgienda à junioribus an à Senioribus? pag. 86. *quæſt.* 1. *p.*170. §. 52. *majora an & meliora?* p.88. §. 4. *eorũ ferendorum ratio & ordo* p.166. §. 49. *Conſul rogat & colligit* p. 169. §. 51. *debent eſſe libera* p. 171. p. 172. §. 53.
Votandi ratio in Senatu aulico Imperii Germanici p. 173. §. 55.

X.

Xerxes dicis gratia ad conſilium vocavit Principes deliberaturus de bello Græcia inferendo. p. 48. §. 30.

F I N I S.

ANT
1317114

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

A

.XXI
C55